



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibus Cœram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

Qvinta Et Vltima Pars, de censuris Ecclesiasticis, & Irregularitate,
complectens 14. Capita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

tur, & congregentur, ac quam maximo discrimine salutis propriæ & alienæ, in morte relinquuntur. An autem, qui vel ab intestato in eis succedunt, vel quibus per viam vltimæ dispositionis contra canonum decreta relinquuntur, ad eorum restitutionem pauperibus, aut Ecclesiæ in conscientia teneantur: quod communior opinio sentit, non sine magnis rationibus, eius scientiæ relinquimus, qui omnia nouit, & discutiet, quando iudicaturus seculum per ignem.



QVINTA

ET VLTIMA PARS

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS, ET IRREGVLARITATE.

CENSURA in præsentī materia nihil aliud est, quam correctio Ecclesiastica, qua Ecclesia punit crimina, & transgressiones: Hinc censura nominatur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, capit. Cum inter. de consuetudin. Quia quemadmodum vires hominis consistunt in

R. r 2 neruis:

Quid nomine censura intelligatur.

neruis: ita in sententia censuræ positæ sunt vires Ecclesiæ.

Irregularitas non est censura.

Tres autem sunt censurae. Excommunicatio, Interdictum, & Suspendio, capit. Quærenti de verborum significatione. Irregularitas autem non est censura, sed quædam indecentia, & inhabilitas ad ordines & Ecclesiastica officia.

CAPVT I.

DE QVIBVSDAM GENERALIBVS SPECTANTIBVS AD COGNITIONEM EXCOMMUNICATIONIS.

DE hac materia legendi canonum Doctores in iure canonico in tit. de sententia excommunicationis. Theologicum Magistro in 4.d. 22. Summistæ in verb. Excommunicatio. S. Antonin. 3. part. tit. 24. Didac. Couarr. in capit. Alma mater. de sententia excom. lib. 6. Ioan. de Lignano in tract. de censuris. Candelabrum aureum latè 2. part. per tot. & post alios doctè Henric. Henriquez. tomo 1. moralis Theolog. lib. 13. F. Fœlicianus Episcopus Scalensis in Enchiridio de Censuris. Nauarr. in Manuali Confessariorum à cap. 27.

Materia excommunicationis latissima est, & dependet ex canonibus. Quare hic neru-
dio-

diores, quos instruere cupimus, cōfundamus, breuem, & necessariam doctrinam ponemus. Eruditiores, Doctores cit. consulere poterunt.

An potestas sit in Ecclesia excommunicandi?

CERTISSIMA fide tenendum est, in Ecclesia esse potestatem excommunicandi: contra hæreticorum calumnias, quos confutant Alphonsus Castrenf. in lib. de hæresib. in verb. Excommunicatio. & Dominicus Sotus in 4. sentent. d. 22. q. 1. Constat hæc veritas. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. & 2. Ioan. 1. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite eum recipere in domū, nec aue ei dixeritis, 1. Corinth. 5. Si is, qui Frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, &c. Cum huiusmodi ne cibum sumere, & ibidem. Iam iudicavi, vt præfens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, &c. tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit. Tradere hominem Sathanæ, est excommunicare: Unde Augustinus de verbis Apostoli, cap. 68. cuius verba referuntur, 11. q. 3. can. Omnis Christianus. Omnis Christianus, qui à Sacerdote excōmunicatur, Sathanæ traditur: Quomodo?

Rr 3 do?

*Tradere
hominem
Sathanæ
quid sit.*

do? Quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apostolus Sathanæ traditos esse prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat. Plurima Patrum, de hac materia testimonia, qui videre voluerit, legat Castrenf. & Sotum, & Gratianum, II. q. 3. Eadem veritas probatur etiam ex canonibus & praxi vniuersalis Ecclesiæ, vt est videre in toto tit. de sententia excommunicat. Notandum quod non solum recentiores Doctores, sed etiam sacræ literæ, excommunicationem nomine Anathematis intelligant, Zach. 4. 1. Machab. 5. Iosue 7. 1. Corinth. 16. ad Galath. 1. & c. De deductione & significatione dictionis anathematis multa doctè colligit Couarr. in d. c. Alma mater. 1. part. §. 8. num. 6. & 7. Excommunicatus dicitur, anathema quasi sepositus & segregatus à consortio fidelium.

Quid est Excommunicatio?

EST censura Ecclesiastica, quæ priuat communionem sacramentorum tantum, aut sacramentorum & hominum. Dicitur, autem excommunicatio, quia priuat communionem sacramentorum, Ecclesiæ, & fidelium. Excommunicatio autem non est peccatum, sed præsupponit peccatum, cum ab extrinseco etiam homi-

homine nolente infligatur. Infertur autem in utilitatem & correctionem delinquentium, ut sit medicinalis, non mortalis, disciplinans, non eradicans, cap. Cum medicinalis, de sent. excomm. in 6. Quia Apostolus tradidit hominem Sathanæ, ut Spiritus saluus fieret.

Quotuplex est Excommunicatio?

DVPLEX. Maior, & Minor.

Maior est, quæ separat à communione fidelium, & participatione tam actiua quam passiva sacramentorum, id est, ut nec possit recipere nec administrare sacramenta.

Quid maior excommunicatio sit.

Minor est, quæ separat tantum à participatione passiva sacramentorum, id est, facit, ut ea excommunicatus non possit recipere sacramenta, & priuat etiam electione passiva, c. Si celebrat. de clerico excom. ministrante.

Quid minor sit.

Maior excommunicatio est duplex. Generalis, & particularis. Generalis, quæ generaliter lata quo ad personas, & crimina ex. gr. Si canon dicat, vel statutum. Quicumque incendiarius sit excommunicatus.

Particularis, quæ fertur in aliquem pro particulari crimine: ut quando Petrus à Iudice excommunicatur propter contumaciam, quia non vult satisfacere sententiæ in eum lata.

Generalis iterum duplex est, Lata à iure, & lata ab homine. Lata à iure est, quando in genere canon, lex, aut statutum excommunicat aliquem, qui hoc vel illud fecerit: Huius

Rr 4 gene-

*Differen-
tia inter
excommu-
nicationē
latam ab
homine,
& inflictā
à iure.*

generis sunt multæ excommunicationes, in iure canonico, de quibus infra. Lata ab homine, quando Iudex, aut superior fert excommunicationem in eum, qui hoc vel illud fecerit. Est autem differentia inter has duas cōmunicationes, quod lata ab homine, desinit mortuo eo, qui eam tulit, aut ablato ab eo officio, quantum ad eos, qui eam non incurserunt, antequam moreretur, aut officio defungeretur, iuxta Glossam, Panormit. & communem sententiam, in cap. Ad nobis. de sentent. excommun. Lata autem à iure minimè tollitur.

Diuiditur deinde excommunicatio iniustam, & iniustam. Iusta est, quando fertur à suo iudice propter debitam causam iuris, seruato ordine in modo procedendi. Iniusta, quæ fertur à non habente potestatem: aut non ob iustam causam: nec debito seruato iuris processu. Iniusta subdiuiditur in iniustam validā, & in iniustam inuvalidam siue nullam. Iniusta valida est, quando est defectus debitæ intentionis in Iudice, vtpote quia ex odio, ira, &c. excommunicat, aut non seruatur forma, præcedente trina admonitione: vel non subest iniusta causa. Iniusta inuvalida siue nulla, quæ nullam inducit obligationem, nisi ob scandalum populi; Vnde per scientiam sublato scandalo, nihil obligationis inducit. In multis autem casibus sententia excommunicationis iniusta, potest

pōteſt eſſe inualida & nulla, quos colligit
Gloſſ. lib. 6. eod. tit. cap. Præſenti. Angelus
verb. Excommunicatio 3. & alij. Summiſtæ,
Nauarr. in Manuali, c. 27. num. 4. ad quinque
reducit, ſed de his, qui legere voluerit, videat
Doctores,

De cauſa Excommunicationis.

Certiffima in hac materia regula eſt, quod
nullus poteſt excommunicari niſi prop-
ter peccatum mortale, S. Thom. Richard. Pa-
ludan. Durand. & alij in 4. d. 18. Sotus in 4. d.
22. q. 1. art. 2. Adrian. in q. 3. de clauibus, Felin.
& alij in Rubr. de ſentent. excommun. Nauar.
in Manuali Confess. c. 27. num. 9. Couarr. in d.
cap. 1. part. §. 9. & hæc eſt communiffima DD.
ſententia. II. q. 3. can. Nemo Episcoporum. &
ratio eſt. Quia excommunicatio eſt maxima
pœna Eccleſiæ, quæ ſeparat à maximis bonis,
quibus nemo priuandus, qui ſeipſum prius
charitate non priuauit: Quare DD. ſequen-
tes Petrum Paludan. in 4. d. 18. quæſt. 1. art. 2.
tradunt eum, qui ſe liberum iudicat à peccato
mortali, tuta conſcientia poſſe liberum etiam
ſe credere ab excommunicatione. Quæ regula
fanè intelligenda eſt, quando quis rationabili-
ter ſe iudicat non peccaſſe mortaliter. At ſi
quis ignorantia craſſa, & affectata laboraret,
nihil prodeſſet niſi ad excuſandum excuſatio-
nes in peccatis. Nec pro quocunque peccato

*Nemo ex-
communi-
catur niſi
pro culpa
mortali.*

Rr 5 mor-

Contumax mortali homo excommunicandus est, nisi sit
quis sit. contumax. Contumax autem censetur, qui
 persistit in peccato mortali præterito: aut non
 vult comparere in iudicio vocatus, vel sine li-
 centia recedit: vel non vult parere iusto præ-
 cepto iudicis & superioris. Prædicta etiam re-
 gula quod nullus excommunicandus nisi
 propter peccatum mortale intelligenda, de
 excommunicatione, quæ ob culpam præteri-
 tam fertur à iudice & superiori: vt rectè tra-
 dunt, Petrus à Soto de institutione Sacerdo-
 tum lect. 3. de Excommunicatione, & F. Felici-
 cianus in Enchiridio de Excommuni. cap. 10.
 Quando autem sub excommunicatione pro-
 hibetur aliquid futurum siue à iure, siue ab
 homine non est opus, vt id ex natura sua sit
 peccatum mortale; exempli gratia: Pontifex,
 aut etiam Concilium prohibet sub pœna ex-
 communicationis, ne laicus, vel alius exceptis
 illis, quibus hoc conceditur, ingrediatur clau-
 suram monialium: cum tamen hoc ex se pec-
 catum non sit: colligitur ex tali pœna inten-
 tionem præcipientis esse transgredientem
 præceptum incurrere peccatū mortale. Quia
 quicquid prohibetur, sub pœna excommu-
 nicationis intelligunt Doctores prohiberi
 sub peccato mortali. Quare eodem actu trans-
 gressionis & peccatum mortale, & excommu-
 nicatio incurritur, ex mente & intentione
 præci-

præcipientis, vt Petrus à Soto loco cit. & Didacus Couarr. in capit. Alma mater. de sentent. excommun. in 6.1. part. §. 9. numer. 1. docent. Excommunicatio præcepto apposita signum certissimum est, præcipientem intendere materiam præcepti ad mortalem culpam reducere. Postremò hic notanda regula posita à Caietano in summa verbo Excommunicatio: quam communiter DD. approbant. Quando actio propter quam quis excommunicatur non est consummata, licet sit incepta: non est locus excommunicationi: nisi exprimat, quod etiam dantes consilium, auxilium, consensum, & imperium etiam sint excommunicati, & tunc nisi sequatur effectus, non incidunt in excommunicationem.

Quando homo excusatur ab excommunicatione?

IN quatuor casibus. *Primus*, quando excommunicatio continet intolerabilem errorem, vtpote cum aliquid præcipitur contra ius diuinum, naturale, aut positium.

Secundus, Quando fertur, pro re leui.

Tertius, Quando quis non potest obedire sine maximo suo detrimento, vt si præcipiatur restitutio laboranti inopia: huic adlere possumus, si quid impossibile iniungatur alicui sub pœna excommunicationis, quod facere nequit sine periculo corporis, aut ani-

ma,

mæ, argumentum sumitur, ex capit. Venerabilibus. §. fin. de sentent. excommun. in 6. Nauarr. in Manuali, capit. 27. numer. 4. & 14. Quia ad impossibile nemo obligatur. Arbitror tamen, quod quando aliquid impossibile precipitur à Iudice alicui sub pœne excommunicationis, utpote si pauperi solutio debiti iungatur, quod soluere nequit nisi furetur: aut agrè viuat: quod ante sententiam impossibilitatem allegare debeat: Quod si fecerit, & iudex in ferenda sententia perrexerit, non ligabitur; sed potest iustè appellare. Tenebitur tamen ad restituendum, vel soluendum talis quamprimum poterit, de qua re iudex iuramentum accipere poterit. Notandum tamen eum manere excommunicatum, qui tempore excommunicationis potuit restituere & noluit, etiamsi postea restituere non possit, erit nihilominus à iudice absolendus præstito iuramento de restituendo, quam primum poterit.

Quartus casus, quando aliquis retinet alienum titulo recompensationis, licet enim peccauerit accipiendo, non tamen ad restitutionem tenetur, quia alienum non retinet. Quare cum iure naturali à restitutione excusetur, similiter ab excommunicatione liberabitur. De hoc casu. Nauarr. in Manuali, ca. 17. numer. 114. Vide etiam pro hac materia Iosephum

phum Angles in florib. Theolog. quæstion. in
4. part. 2. in quæst. de excommun. difficult. 2.

*Quis potest excommunicare: & quis ex-
communicari?*

PRIMA Conclusio. Omnes Ecclesiarum Pre-
lati, vel iudices siue ordinarij, siue delegati,
qui de iure, vel consuetudine, vel ex commis-
sione potestatem habent: siue sint Sacerdo-
tes, siue non, modò sint clerici non vxorati.
Hinc Pontifex potest excommunicare in tota
Ecclesia. Item Concilium generale. Episco-
pus in sua Diocœsi. Concilium prouinciale in
tota prouincia. Abbas in suo monasterio, &c.
Pastores & Sacerdotes habètes curam anima-
rum non possunt parochiæ subditos excom-
municare: Quia licet sint Sacerdotes, & habe-
ant iurisdictionem in suos in foro conscien-
tiæ, siue interiori, non tamen habent potestã-
tem in foro exteriori, nisi eis committatur,
quæ requiritur ad hoc, vt quis valeat excom-
municare. Gloss. recepta in capit. Transmissa.
de Electione.

Secunda Conclusio. Excommunicari possunt
omnes Christiani baptizati viuentes, qui sub-
sunt alicui exercenti iurisdictionem Ecclesia-
sticam. Dictum baptizati, quia si quis non sit
per susceptionem baptismi ingressus in Ec-
clesiam, non potest excommunicari, additunt
(viuentes) quia mortui non excommunican-
tur,

tur, declarantur tamen aliquando mortui et communicati, quando ante mortem latenter fuerunt in excommunicatione.

De effectibus Excommunicationis.

MULTI ex canonibus enumerantur effectus, quos excommunicatio operatur, de quibus Summistæ in verbo Excommunicatio. s. Anton. 3. part. tit. 25. c. 72. aut 76. Alphonsus à Castro in verb. Excommunicatio. Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 1. Couarr. in d. cap. Alma mater. 1. part. §. 6. & seq. Henriquez loco cit. cap. 4. & Natarr. in Manuali, capit. 27. num. 17. Hic breuiter principales ponemus, qui foro cōscientiæ inferuiunt.

Primo, Priuat fructu orationum, & participatione bonorum communium in Ecclesia, nec non etiam exercitio actiuo, & passiuo sacramentorum. *Secundo*, Efficit quod excommunicatus non possit interesse diuinis officijs in Ecclesia, vel extra cum alijs: quamuis possit separatus ab alijs in Ecclesia etiam orare. *Tertio*, Excludit à regno coelorum. *Quarto*, Si quis excommunicatus exercentium alicuius ordinis peculiarem, efficitur irregularis. *Quinto*, Excommunicatus non potest beneficium Ecclesiasticum acquirere, si acquirat, collatio est nulla: & si quis per annum perseueret in excommunicatione potest omnibus beneficijs priuari. *Sexto*, Excludit

ab

ab electione canonica actiua & passiuâ, id est, excommunicatus nec potest eligi ab alijs, nec ipse alios eligere. *Septimo*, Si excommunicatus sit denunciatus subditi absoluuntur à debito fidelitatis & subiectionis. *Octauo*, Excluditur ab omni actu legitimo, vt procurare, instrumenta facere, testari, &c. *Nono*, Non potest se immiscere actibus humanis communiter prohibitis: qui continentur illo versiculo.

Os, orare, vale, communicatio, mensa negatur.

Hic versiculus infra exponetur, quando agetur de excommunicatione minori. *Decimo*, Excommunicatus non debet sepeliri in loco sacro. Alij adhuc ab alijs, locis citatis colliguntur.

Dubium. *An peccet excommunicatus nondum denunciatus mortaliter, cum alijs in diuinis, aut extra communicando?*

RESPONDETUR, peccat quantum cuiusque sit contritus communicando ante absolutionem, ex Extrauaganti, ad vitanda scandala. Quia dicit Concilium Constantien. in nullo intendere releuare excommunicatum: Alij vero cum ipso excommunicato non denunciato participantes, non peccant. Non tamen hoc locum habet in Sacerdote curato, qui tenetur suo subdito sacramentum petenti ministrare, quod poterit facere sine pecca-

peccato, si prius conteratur, & proponat Ecclesie obedire, vide Iosephum Angles vbi supra art. 3. 2. difficult. & Sotum d. 22. quaest. 1. art. 4. Vnde hæ regulæ colliguntur, pro hac materia.

Prima, Excommunicati maiori excommunicatione omnes tenentur se subtrahere à cōmunionem aliorum in diuinis, præterquam in collatione sacramentorum, in quibus alij opus habent eorum officio. *Secunda*, Alij in nullo tenentur se subtrahere ab excommunicatorum cōmunionem neque in sacramentis, neque in diuinis officijs, neque in conuersatione exteriori: nisi in duobus casibus posita in Concilio Constantien. scilicet, quando nominatim sunt excommunicati, aut percussores clericorum adeò notorij, vt factum non possit aliqua tergiuersatione celari.

Quando communicare cum Excommunicato est peccatum mortale?

IN quatuor casibus. *Primus*, cum participatur cum excommunicato in eodē crimine, pro quo lata est excommunicatio, cap. Nuper. de sentent. excommuni. *Secundus*, si participetur in diuinis: quod intellige secundum Concilium Constan. moderationem in duabus speciebus, in 2. regula positis. *Tertius*, quando illa communicatio fieret in contemptum Ecclesie. *Quartus*, quando est lata sententia excommuni-

municationis maioris in participantes, Vide
Sotum loc.cit.

*An ex participatione cum excommunicatis et-
iam aliquando Excommunicatio in-
curratur?*

MAIOR excommunicatio in tribus casi-
bus incurritur. *Primus*, Quando quis cō-
municat in crimine criminoso cum excom-
municato, nempe in illo pro quo lata est ex-
communicatio, ex capit. Nuper. cit. *Secundus*,
Siquis communicat cū excommunicato no-
minatim à Papa, in officijs Ecclesiæ, cap. Sig-
nificavit, eod. tit. *Tertius*, Quando prolata est
sententia excommunicationis in omnes par-
ticipantes.

Minor autem excommunicatio incurri-
tur, quando quis illicito modo communi-
cat, cum excommunicato maiori excom-
municatione: Quia maior excommunica-
tio priuat his, quæ continentur in dicto ver-
siculo.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os*, intellige colloquia, oscula, amici-
tiæ munera, literas, &c.

Orare) hoc verbo prohibentur Ecclesiasti-
ca sacramenta, communia sacramenta Eccle-
siæ: & orationes, tam intra quàm extra Eccle-
siam, & omnia spiritualia.

ss

Vale)

Vale) interdicitur mutua salutatione, quae scripto, signo, & verbo fieri possunt.

Communio) Per communionem intelliguntur habitatio in eadem domo, mutuum exercitium, & conuersatio.

Mensa) Per mensam vetatur ne in eadem mensa bibat, aut comedat aliquis cum excommunicato, aut in eodem lecto dormiat.

Si tamen fiat transgressio in dictis, si ablati contemptus, aut scandalum, non committitur nisi peccatum veniale.

Casus, in quibus licitum est sine peccato cum excommunicatis communicare, continentur his versibus.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Haec anathema faciunt, ne possit obesse.

VTILE) cum quis participat in vilitate propriam petendo debitum, aut prosequendo actionem in iudicio, aut propter commodum ipsius excommunicati dando ei consilium, adducendo ad poenitentiam: aut admonendo ad petendam & procurandam absolutionem.

Lex) ad matrimonium spectat: Quia vxor excommunicati potest debitum reddere, & petere.

Humile) Id est, propter subiectionem. Quare excusantur filij, serui, familiares, qui possunt cum parente, aut domino excommunicato communicare.

Resignorata) Excusat ignorantia, vt si quis ignorat alium esse excommunicatum & denunciatum; quam diu durat ignorantia.

Neceffe) Necessitas etiam ipsius, aut excommunicati, aut cum eo communicantis excusat: quia necessitas, vt communiter dicitur, legem nō habet. Huc referri etiam potest metus cadens in constantem virum.

Dubium. *Circa Prædicta.*

Quid faciet sacerdos in altari ad celebrandum existens, si videat excommunicatum intrantem Ecclesiam?

Respondetur, in primis. Si excommunicatus Ecclesiam ingrederetur non causa audiendi sacrum ex professo, sed transeundo obiter per Ecclesiam, aut obambulando in ea. Tunc sacerdos potest prosequi sacrum: Quia hoc non esset interesse sacris, & diuinis officijs. Si autem sacro vult interesse, illudque audire more aliorum Christianorum, tunc sacerdos, modò sine scandalo fieri possit, debet curare vt exeat, aut cessare à sacro. Si autem scandalum timeatur, & probabiliter imminet, tunc si canonem nec dum incepit, regrediatur ad sacristiam. Si autem canonē incepit, prosequatur missam inclusiue vsque ad communionem, qua sumpta, vadat ad sacristiam, & ibidem missam finiat. Hęc est verè commu-

nis omnium resolutio, vt candelabrum aureum de excomm. num. 37. testatur.

CAPVT II.

DE FORMA EXCOMMUNICANDI, & modo absoluedi ab excommunicatione.

ANTE omnia quando excōmunicatio infligitur ab homine, debet p̄cedere trina canonica admonitio, cum interuallo dierum, aut vna pro tribus: & tunc excommunicatio proferenda in scriptis, cum expressione cause, nisi necessitas aliud suadeat: & si Iudex hoc mittat, ipso facto est suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officijs, cap. Sacro. de sentent. ex comm. & cap. 1. libr. 6. eod. tit. In hanc tamen p̄enam non incidunt Episcopi & ipsis superiores: quia eorum non fit mentio singularis. Quod requiritur de iure, vt ipsi incurrant suspensionem, aut interdictum, capit. Quia periculosum libr. 6. eodem. tit.

Quando autem excommunicatio est lata à canone, aut statuto, non requiritur admonitio, sed statim faciens contra, ipso facto incidit in excommunicationem: Quia canon, aut statutum supplet locum admonitionis.

Quantum ad formam verborum, nulla est
certa

certa & definita, sed ex communicans talibus
 uti debet verbis, quibus exprimat suam vo-
 luntatem excommunicandi de præfenti, ex-
 gr. Excommunico te, separo à communione
 Ecclesiæ, prius te cōmunionem corporis Chri-
 sti quod est Ecclesia, &c.

Quando autem excommunicatio fertur à
 canone aut statuto, semper benè inspicienda
 verba canonis, aut statuti. Cum dicitur ipso
 facto, aut iure incurrat excommunicationem,
 vel subiaceat excommunicationi, vel sub pœ-
 na excommunicationis latæ sententiæ, tunc
 sententia lata est. De dictionibus, prorsus &
 penitus idem est iudicium, tantū valent quan-
 tum ipso iure & facto, quamuis iungantur
 verbis futuri temporis. cap. pen. de pœnis.
 Quando autem simpliciter dicitur siue sit sen-
 tentia iuris, siue hominis sub pœna excom-
 municationis, aut anathematis, non est sen-
 tentia lata, sed comminatoria & ferenda se-
 cundum Panorm. in cap. vnico. de Sagittarijs,
 Quandoque autem fit mentio siue à iudi-
 ce, siue à canone de excommunicatione, nisi
 verbis aliud exprimat, intelligitur de maio-
 ri, capit. penult. de sentent. excommunicatio-
 nis: quia verba intelligenda secundum com-
 munem consuetudinem, & analogon
 per se positum stat pro significato
 famosiori.

DE ABSOLVTIONE, AB
Excommunicatione.*Quis potest absolvere?*

EXCOMMUNICATIO aut est lata ab homine: aut à iure, siue canone. Quando sententia lata est ab homine, solus absolvere potest is, qui eam tulit, aut eius superior, aut successor in officio, aut dignitate, vel delegatus ex communi sententia. Excipiuntur aliqui casus, quos colligit Angelus in verb. Absolutio 2.

Quantum ad excommunicationes iuris & canonis; quando non sunt reseruatæ à canone alteri, proprius confessorius, aut parochus, qui potest absolvere à peccato mortali, absolvit etiam ab excommunicatione, vt communis Doctorum sententia est. Quando autem reseruantur excommunicationes, is absolvit, cui reseruatæ sunt. Quare confessorio necessarium est scire, quæ reseruentur Papæ, quæ Episcopo, & quæ nulli. A minori excommunicatione potest quilibet Confessorius approbatus absolvere.

De modo seruando in absolutione.

QUATVOR seruanda tradunt DD. quæ ponunt Angelus ver. Absolutio 3. & Sylvest. est. cum alijs ibidem.

Primum, Vt absolvens excommunicatum faciat

faciat iurare de parendo mandatis Ecclesiæ, quando propter grauiora peccata aliquis excommunicatus fuit. *Secundum*, Vt antequam absoluat, satisfiat parti læsæ; aut si non potest satisfacere, det cautionem, aut fideiussionem, aut pignus, & hoc de iustitia requiritur. *Tertium*, Debent dici orationes, psalmus Miserere, vel alius pœnitentialis, & interim excommunicatus nudatus humeris cæditur, & aliæ dicuntur orationes, de quibus Doctores in suis locis citatis, flagellatio nunc omittitur propter honestatem, maximè quando absolutio in publico secretè in confessione datur. *Quartum*, Adiungi debet admonitio salutaris & exhortatio. Verba autem absolutionis non sunt certa. Sufficit quibusuis verbis vti, significantibus absolutionem, quando intentio absoluendi adest. Potest autem absolutio his verbis fieri. Auctoritate qua fungor, ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, vel talem causam & restituo te sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium. Quando autem plures sunt causæ, ob quas aliquis excommunicatus est, absoluens in absolutione omnes debet exprimere: aliàs tantum à solis expressis esset absolutus iuxta communem sententiam. Nunc de casibus maioris excommunicationis dicetur, & quoniam quædam excommunicationes reseruantur Papæ in Bulla Cœnæ

Domini: quædam extra: Aliæ Episcopis: aliæ nulli secundum ordinem, de singulis breuiter agemus. Quoniam autem longum foret canonum verba semper ponere, vt plurimum substantia adferetur annotato canone, vnde excommunicato defumitur. Pro intelligentia & expositione remitto lectorem ad Summas & canonum interpretes.

CAPVT III.

DE CASIBVS PONTIFICI *reseruat* in Bulla Cœna *Domini.*

PRO inductione notandum Bullam Cœna Domini vocari processum, quo summus Pontifex singulis annis in die Iouis sancta, varia genera peccantium excommunicat cum reseruatione: & dicta dies vocatur Cœna Domini, propter cœnam vltimam, quam Saluator cum suis discipulis habuit.

Prima excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini completitur hæreticos, eorum libros legentes sine licentia Romani Pontificis: aut alterius, qui eam dare potest, hæreticorum fautores, schismaticos, & eos qui se ab obedientia Romani Pontificis subtrahunt.

Secunda excommunicat appellantes à Papa
ad

ad futurum Concilium, & dantes fauorem, & consilium ad id.

Tertia excommunicat Pyratas, latrunculos maritimos, eorum receptatores, & dantes auxilium, & fauorem.

Quarta fertur in eos, qui rapiunt naufragorum bona, aut scienter ab alijs rapta accipientes.

Quinta in eos, qui imponunt noua pedagia, & gabellas, vel eas augent, quando ad id potestatem non habent.

Sexta in falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes signatas auctoritate Apostolica.

Septima in deferentes arma, equos, ferrum, alia metallorum genera, cunctaque vsui belli commoda ad Turcas: nec non etiam in eos, qui Turcas, & inimicos Christiani nominis certiores reddunt de rebus reipub. Christiane statum concernentibus in Christianorum damnum, & perniciem.

Octaua in impediens & inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ curiæ necessaria adducunt, vel pro eis aliquid soluere faciunt: ac etiam in eos, qui talia fieri curant & defendunt.

Nona in eos, qui ex proposito Romipetas, seu peregrinos ad urbem proficiscentes: aut ab eadem recedentes lædunt, aut offendunt, & illis dantes auxilium, consilium, & fauorem,

Decima in illos, qui non habentes in cura iurisdictionem, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem: vel qui talia fieri mandant.

Vndecima in offendentes, interficientes, mutilantes, capientes, incarcerantes, aut hostiliter insequentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedis Apostolicæ legatos, vel nuncios, aut eosdem eijcientes à suis diocesis, territorijs, terris, aut dominijs: item mandantes, & præstantes consilium, auxilium, aut fauorem.

Duodecima, in eos, qui ad Romanam curiam pro eorum causis & negotijs recurrentes offendunt, mutilant, occidunt, verberant, aut bonis suis spoliant, &c. aut executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent. Ac etiam appellantes à grauamine, vel literarum Apostolicarum executione ad laicam potestatem, &c.

Decimatertia, in officiales Principum secularium, & Prælatos Ecclesiasticos, qui causas Ecclesiasticas à iudicibus Apostolicis auocant, & actores ad reuocanda impetrata compellunt.

Decimaquarta, in iudices seculares, qui Ecclesiasticas personas præter iuris canonici dispositionem ad suum tribunal trahunt, vel trahi

trahi faciunt: Quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, lædunt, deprimunt, aut quouis modo restringunt: Vnde Romanæ Ecclesiæ, aut quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Decima quinta, in impediētes Prælatos Ecclesiasticos, ne sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur, ac in eos qui illorum & delegatorum iudicia eludunt, ad cancellarias & curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinarijs, aut delegatis decerni, & contra illos exequi procurant, & in exequentes, decernētes, seu dantes consilium, auxilium, patrociniū, & fauorem in eisdem.

Decima sexta, in vsurpantes sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum iurisdictiones, fructus, redditus & prouentus, aut eos sequestrantes, &c.

Decima septima, in imponētes collectas, decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesijs, monasterijs, aut eorum fructibus, absque speciali & expressa licentia Romani Pontificis, & in exequentes, procurantes, & dantes consilium, auxilium, fauorem, votum seu suffragium palam & occultè. In qua etiam excommunicatione comprehenduntur, qui sic imposta etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt. Includuntur etiam

quæ

quacunq[ue] dignitate etiamsi Imperiali, aut regali fulgeant.

Decima octava, in iudices seculares in causis capitalibus, seu criminalibus contra quascunq[ue] personas Ecclesiasticas se interponentes processando, sententias proferendo, aut exequendo, nec valent priuilegia contra data.

Decima nona, in occupantes loca, & terras Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam iurisdictionem vsurpantes.

Vigesima in raptores suppellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum camerae, & palatii Apostolici ex eodem palatio, tempore infirmitatis Pontificis, & sedis Apostolicæ vacationis. A prædictis excommunicationibus, nullus præter Romanum Pontificem nisi in mortis articulo absoluere potest, nisi quis specialem à Pontifice habeat facultatem, nec etiã tunc nisi de stando S. Romanæ Ecclesiæ mandato, vel satisfaciendo sufficienti cautione præstita.

Postremò annectitur pœna eorum, qui à prædictis casibus absoluere præsumserint, incidunt in excommunicationem, & eis prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessionis, officia interdiciuntur.

Nota tamen quod hæc excommunicatio eorum, qui absoluere præsumserint, non est reseruata Pontifici nunc, vt patet ex Bulla Gre-

Gregorij XIII. prout Nauarr. optimè afferit, capit. 27. in Manuali, numero 74. contra Caietanum, Auream Armillam, & quasdam agendas. Nec etiam incidit in talem excommunicationem Confessarius absoluens ex obliuione, inaduertentia, aut ignorantia non crassa, quia lata est contra præsumentes absolute: de quorum numero non est, qui sic absoluit, vt idem Nauarr. docet cum alijs. Nunc sequuntur casus referuati Pontifici extra Bullam Cœnæ Domini.

CAPVT IV.

DE EXCOMMUNICATIONE lata in iniicientes manus violentas in clericos.

CASVS frequens est, 17. q. 4. cap. Si quis, Si quis suadente Diabolo iniecerit manus violentas in clericum, vel monachum, subiaceat excommunicationi, & à nullo præterquam à Papa, nisi in mortis articulo absoluat, & conspectui Apostolico repræsentetur. Idem habetur cap. Cum illorum. cap. De monialibus. & capit. Veniens. de sentent. excommun.

Vt hic casus melius intelligatur, cum frequenter contingat, latius verba exponenda sunt.

Si quis) compræhendit viros & fœminas
& omnes habêtes sufficiens iudicium ad mor-
taliter delinquendum.

Suadente Diabolo) quia si quis ex charita-
te causa correctionis, & disciplinæ faciat, non
incidit in excommunicationem.

Manus violentas) per manus intelligitur
omne membrum, quo homo alteri iniuri-
nocet, siue sit pes, siue brachium, &c. expri-
munt autem manus: quia sunt aptiora mem-
bra ad percutiendum.

Per manus violentas non solùm intelligi-
tur percussio, sed etiam pulueris, luti, aquæ,
aut sputi iniectio, aut profusio, vel similis ini-
uria, iuxta Glossam receptam, in dicto cap.
Si quis suadente.

Incidunt in eandem excommunicationem,
qui iubent, consilium, auxilium, aut fauorem
præbent. In clericum (per clericum intelli-
gitur non solum existens in sacris, sed etiam
quilibet initiatus prima tonsura, modo gestet
habitum & tonsuram, vt clericus cognosca-
tur. Vel monachum) per monachum, acci-
pitur omnis religiosus approbatæ religionis,
etiam conuersus, aut nouitius. Item monialis,
& conuersa.

(A nullo præterquam à Papa nisi in mor-
tis articulo absoluitur.) In mortis articulo et-
iam simplex Sacerdos absolueret potest, quan-
do non est accessus ad Episcopum. Excipiuntur

tur aliqui, qui non incurrunt censuram prædictam. Percutientes ex ludo, & ioco, modo non fiat dolo, aut irato animo, aut in derisionem, aut quando causa disciplinæ, vt Magister, Pater, Herus aut Propinquus percutere solent. Excipitur etiam percussio indeliberata, vel ita exigua, quod illata laico non esset mortalis. Eadem est ratio, quando quis clericum inuadentem, in necessariam defensionem percutit. Simile est ius, quando mulier verberat clericum molestans de stupro in defensionem castitatis; quando molestatio fit per actum corporalem, & vim. Ad idem genus refertur, si quis percutiat clericum inhonestè operantem cum vxore propria, matre, sorore, aut filia. Non incurrit etiam pœnam dicti canonis, si quis percutiat clericum, quem probabiliter ignorat clericum: aut talem clericum, qui iam clericale priuilegium perdidit.

Casus, in quibus percutiens clericum à proprio Episcopo, aut Prelato absolui potest?

PRIMVS, in articulo, aut periculo mortis, ex d. cap. Si quis.

Secundus, Quando iustum impedimentum, quod arbitrio prudentis viri sufficit, obstat, quod aliquis non possit venire ad sedem Apostolicam.

Tertius, Quando sunt nobiles magna potentia

ten-

tentię, ita delicati quod laborem proficiscendi Romam ferre non valent.

Quartus, Qui non est sui, sed alieni iuris.

Quintus, Mulieres percutientes clericum omni casu à suo Episcopo absoluuntur.

Sextus, Pueri propter defectum & impedimentum ætatis.

Septimus, Ostiarius alicuius potestatis, sub prætextu sui officij aliquem clericum percutiens, nisi enormis sit læsio.

Octauus, Si clerici in collegio simul viuentes se percutiant, possunt ab Episcopo etiam absolui, nisi atrocitas delicti grauiorem penam postulet.

Nonus, Monachi & canonici regulares, quando se in claustro percutiunt, ab Abbate possunt absolui, si eius discretio sufficiat. Alias ab Episcopo: Quando autem in monasterio non est Abbas, sed Prior, vel alius superior, tunc à superiori prælato, qui præest, possunt absolui. Moniales autem absolueda à proprio Episcopo.

Decimus, Quando iniectio manus in clericum est leuis, aut modica, absolutio ab Episcopo potest impendi.

Vndecimus, Quando est dubium, an aliquis incidit in canonem. Si quis suadente, potest etiam Episcopus absolueret. Dicti casus his versibus continentur.

Regula

*Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Delitiosus, inops, ager, senexq, sodalis,
lanitor, astrictus, dubius causa, leuis ictus,
Debilis: absolui sine summa sede merentur,
Atroces verò soli Papæ retinentur.*

CAPVT V.

*DE RELIQUIS EXCOMMV-
nicationibus reseruatìs Ponti-
fici in iure.*

PRIMA, capit. Quærenti. de officio delegati. Excommunicatus à delegato Papæ, si integro anno in excommunicatione perseuerat, eo absoluto, absoluendus est à Papa.

Secunda, in cap. Dura. de crimine falsi. Excommunicatus à Diocæsano, eo quod habuerit literas falsas Papæ, si eas infra viginti dies non destruat, & resignet.

Tertia, capit. Significauit, de sententia excommunicat. Clerici, qui participant in diuinis tam in Ecclesia, quam alibi, sponte & scienter cum excommunicato à Papa.

Quarta, de sentent. excommun. cap. Tua. Incendiarius, Excommunicatus, & denunciatus, præterquam in articulo mortis.

Quinta, in cap. Conquæstus. eod. tit. excommunicati propter spoliationem Ecclesiæ cum

T c effra-

effractione, post denunciationem absoluentur à sede Apostolica.

Sexta, cap. Fundamenta. de electione in 6. excommunicantur eligentes in Senatorem Romanum aliquem Imperatorem, Regem, Comitem, aut alium potentem, &c. Sed hic casus apud nos non habet locum, & etiam fere nunquam contingit.

Septima, c. Fœlicis. de pœnis. Qui insectatus fuerit Cardinalem, percusserit, vel ceperit, &c. Sed hæc excommunicatio cum extensione reuocata est ad Bullam Cœnæ Domini, ut ex ea patet.

Octava, in cap. Quicumque de sentent. excommun. in 6. excommunicantur, qui facultatem tribuerint alicui interficiendi, capiendi, aut vexandi personas aliquorum, aut eorum facultates, aut suorum, eo quod tulerint sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, contra Reges, &c. aut contra quoscunque alios eorum ministros, aut contra alios quoslibet, &c. Excommunicat etiam eos, qui vsi fuerint tali facultate: aut proprio motu fecerint aliquid ex huiusmodi prædictis; si duobus mensibus perseverauerint in dicta excommunicatione, à solo Papa absoluantur.

Nona, in Clement. multorum. de hæret. § Verum. excommunicatur omnes inquisitores inferiores Episcopis, qui odij, gratia, amoris,

ris, lucri, aut commodi temporalis gratia, contra iustitiam & conscientiam, omiserint procedere contra quemcunque, quando procedendum est: aut ex eisdem causis imposuerint hæresim, &c.

Decima, in Clement. i. de priuilegijs. excommunicantur cum reseruatione, Religiosi, qui sine licentia expressa presbyteri parochialis præsumunt administrare clericis, aut laicis sacramentum extremæ vnctionis, aut Eucharistiæ: aut benedicere nuptias; aut absoluerè excommunicatos, canone præterquam in casibus à iure: aut priuilegijs Apostolicis sibi concessis: aut à sententijs promulgatis; à statutis prouincialibus, aut Synodalibus, aut à peccatis, à pœna & culpa.

Vndecima, in Clement. Cupientes. de pœnis, circa finem, excommunicantur clerici & religiosi, qui violant constitutionem, illis prohibentem aliquem inducere ad vouendum, iurandum, aut promittendum eligere sepulturam in sua Ecclesia, aut quod non mutabit electam.

Duodecima, in Clement. Graue. de sentent. excommunicat. excommunicantur nobiles, & domini temporales cogentes aliquem, ad celebranda diuina officia in locis interdictis, siue compulsio fiat personæ clericorum, siue eorum consanguineis: Et qui voce præconis, aut sonitu campanæ, &c. conuocant

Tt 2 popu-

populum ad audiendum missam tali loco: aut etiam qui prohibent ne excommunicati, aut interdicti ab Ecclesia eijciantur, quando peraguntur diuina officia, &c.

Decimatertia, In extrauag. 2. de sepulturis inter communes, excommunicantur, qui exenterant mortuos ad eos conseruandos: aut eos concidunt in frustra: & ea coquunt, vt ossa carnibus denudata deferant, & sepeliant in alio loco, & qui hoc fieri iubent.

Decimaquarta, In extrauagan. i. de Simonia, excommunicantur qui dant, aut accipiunt aliquid ob ingressum in aliquod monasterium.

Decimaquinta, In extrauag. Pauli II. de Simonia, excommunicationi subduntur committentes Simoniam in ordine, vel beneficio & eius rei mediatores.

Decimasexta, In extrauag. Martini Quinti de regularibus, excommunicantur fratres ordinum mendicantium sine speciali facultate Papæ, migrantes ad non mendicantes, excepto ordine Carthusianorum, & etiam admittentes eos.

Decimasextima, In extrauag. Graue nimis Sixti Quarti, de reliquijs & ueneratione sanctorum, excommunicatur, qui dixerit peccare mortaliter eum, qui crediderit B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali: & etiam à contrario, qui dixerit peccare mortaliter, oppositum tenentem. Ad hanc accedit
Con-

Concil. Tridentin. sess. 5. in decreto de peccato originali.

Decimaoctava, In Extrauag. 1. de sentent. excommun. Excommunicantur omnes, qui largiuntur, aut accipiunt aliquid: aut promittunt in curia Romana ad obtinendam iustitiam; aut promerendam gratiam alicuius rei. Angelus, Syluester, Caietan. & alij aiunt hanc reuocata per Mart. Quint. Sed quicquid sit, nunc reuocata est ad usum per Gregor. XIII. Anno Dom. 1574. 8. Nouem. in extrauag. incipiente. Ab ipso, quam ad longum explicat Nauarr. in commentario de datis & promissis pro iustitia & gratia obtinenda.

Decimanona, quæ ponitur à S. Antonino 3. part. tit. 24. cap. 30. Syluest. & alijs. Accedentes ad sepulchrum Domini etiam deuotionis gratia sine licentia Pontificis. Hæc aliquibus videtur amplius non esse in usu: & videmus in nostris partibus paucos pro licentia accedere Pontificem.

Vigesima, In Concil. Lateranen. sub Leone X. excommunicantur Cardinales reuelantes aliquid de secreto in actis in consistorio Papæ, quando id speciatim, & expressè mandatum est, ne reueletur.

Vigesimaprima, in eodem Concilio, excommunicantur, qui prædicant miracula falsa, vel incerta, vel Prophetias, quæ nõ continentur in sacra scriptura. Sed aliqui, vt Caiet. in summa,

T t 3 & Bar-

& Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus in summa Conciliorum, existimant censuras dicti Concilij nõ esse receptas.

Vigesimasecunda, ex extrauagant. Gregorij XIII. edita Romæ Anno Domini 1575. incipienti, Vbi gratiæ. Excommunicantur, qui ingrediuntur in clausuram & septa monialium sine licentia eius, qui eam dare potest, & sufficienti causa, siue sint viri, siue mulieres, etiam cuiuscunque præminentia & dignitatis existant. De hac extrauag. vide Felicianum Episcopum Scalan. de censuris, de excommun. cap. 14. & latè Nauarr. in commentario quarto de regularibus. Aliæ adhuc sunt in iure, vel Doctoribus positæ excommunicationes Pontifici reseruata, quæ vel abrogatæ: vel paruum vsum habent apud nos. Qui legere voluerit, videat Doctores citatos.

CAPVT VI.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS RESERVATIS EPISCOPIS.

DE his vide Angelum verbo Excommunicatio 6. Syluest. eodem verb. 8. Nauarr. in Manuali, cap. 27. à num. 112. Episcopum Scalen. loc. cit. cap. 23.

Prima, est in cap. Prouenit. de sentent. excommun. Quando quis leuiter percutit clericum,

ricum, vel monachum. Eadem est ratio, quando excommunicatio est Papalis, sed propter aliquod impedimentum, absolutio conceditur inferiori, tunc absolutio impendenda ab Episcopo.

Secunda, quam fert Episcopus per suum, aut synodale statutum sibi reseruans absolutionem, iuxta capit. Nuper. de sentent. excommun.

Tertia, in capit. Eos, eodem tit. in 6. aliquando Papalis, aliquando Episcopalis, aliquando non, vbi excommunicatus declaratur, qui ob periculum mortis, aut aliud iustum impedimentum absolutus ab eo, qui aliter non potuisset, recuperata valetudine, vel sublato impedimento, quam citò commodè potest, non se repræsentat superiori, à quo debet absolui, quo eius obediat mandatis, & etiam qui absolutus à Papa, vel eius legatis cum conditione, vt se præsentet ordinarijs, vel alijs iudicibus, pro susceptione pœnitentiæ, vel satisfactione facienda læsis, non facit quam primum potest, eandem sententiam ipso facto incurrit. Hæc excommunicatio est Papalis, si prima talis erat. Episcopalis, si prima talis: nemini vero reseruata est, quando prima non erat reseruata.

Quarta, in cap. Nuper. & c. Si concubinæ. de sentent. excommun. vbi excommunicatur qui scienter participat cum excommunicato

in crimine, ob quod excommunicatus est cū
 reservatione absolutionis ei, cui esset reserva-
 ta absolutio excommunicationis, ob crimen-
 tum quo participando eam alius incurrit. Quan-
 do prior erat Episcopalis, posterior etiam ta-
 lis est.

CAPVT VII.

DE EXCOMMUNICATIONI- bus nemini reseruatis.

SERVABITVR ordo positus ab Angelo
 verb. Excommunicatio 7. & Nauar. loc. cit.
 à num. 114.

Prima, in capit. Administratores. 23. quæst.
 5. excommunicantur omnes principes, gu-
 bernatores, & officiales seculares, qui ter ad-
 moniti ab Episcopis, & alijs Ecclesiasticis, re-
 culant eis facere iustitiam super eorum cau-
 sis, siue id fiat ex negligentia, siue ex iniquo
 animo.

Secunda, in cap. Licet. de electione excom-
 municatur, qui electus à paucioribus, quam
 à duabus partibus Cardinalium in summum
 Pontificem consentit in electionem: quam
 sententiam etiam incurrunt, qui talem recipi-
 unt pro Papa.

Tertia, in c. Quoniam. de officio ordinarij,
 excommunicatur Episcopus, qui in ciuitate
 diuer-

diuerfarum linguarum, suscipit regimen eorum, qui sunt suæ, priusquam à proprio Episcopo suscipiatur in coadiutorem.

Quarta, in capit. i. de locato. Doctores & Scholastici Bononiens. excommunicantur, qui conducunt domos alterius Doctoris, aut Scholastici sine eius consensu, nisi prius tempus conductionis sit finitum.

Quinta, in capit. Non minus. de immunitate Ecclesiarum. Officiales laici quorumcunque locorum imponentes Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis angarias, vectigalia, & exactiones, &c. Si admoniti non desistant, & omnes qui præbent consilium, auxilium, & fauorem etiam excommunicati sunt, & eorum successores. Vide de hac materia in Bulla Cœnæ Domini.

Sexta, in cap. Super specula. & capit. Non magnopere. Ne clerici vel monachi. Religiosi qui exeunt à suis monasterijs, vt audiant leges, vel medicinam, & audiunt, & non redeunt infra duos menses. Eadem est ratio, de clericis, qui habent dignitatem, vel personatū, quamuis non sint presbyteri, & etiam excommunicantur presbyteri, quamuis non habeant dignitatem, neque Ecclesiam parochialem, qui audiunt duobus mensibus dictas facultates.

Septima, in capit. Clerici. Ne clerici vel monachi. Sacerdos, qui officium vicecomitis, aut

præpositi secularis agit, est excommunicatus, si admonitus non relinquit tale officium.

Octava, in capit. Excommunicationi de raptoribus, in accipientes bona naufragantium, sed hæc reducta à Gregorio XIII. ad Bullam Cœnæ Domini.

Nona, in cap. Nouerit. de sentent. excommunicat. in eos, qui faciunt statuta, & consuetudines obseruari contra libertatem Ecclesiasticam, &c. Hæc etiam reducta ad Bullam Cœnæ Domini.

Decima, in capit. Vbi periculum, de elect. in 6. excommunicantur, qui secretò mittunt literas, vel nuncium, &c. Cardinalibus inclusis conclauis ad eligendum Pontificem, & ibidem excommunicantur Officiales, & Rectors, qui non faciunt obseruari omne id, quod eo tempore faciendum statuitur, hæc excommunicatio apud nos locum non habet.

Vndecima, in cap. Sciant cuncti. de elect. in 6. fertur in eos, qui electores molestia afficiunt, & vexant in bonis, & beneficijs, eo quod non elegerint optatum ab eis.

Duodecima, cap. Generali. de elect. in 6. in vsurpantes nouè, ius constituendi aliquam Ecclesiam sede vacante, & præsumentes capere bona illius. Cum dictis etiam excommunicantur clerici prædictarum Ecclesiarum, monachi monasteriorum, & personæ certorum

eorundem locorum, qui prædicta fieri procurant opere, consilio, persuasione: aut cooperatione.

Decimatertia, in cap. Indemnitatibus, ibidem. excommunicantur deputati, vel vocati ad dirigendas moniales in suis electionibus, qui se non abstinent ab his, per quæ inter eas super faciendis electionibus ipsis oriri posset discordia: vel exorta ali.

Decimaquarta, in cap. Hac constitutione. de officio delegati, libr. 6. excommunicatur quilibet procurans, vel incitans, vt conseruator sibi datus si se intromittat de alijs, quàm manifestis iniurijs, &c.

Decimaquinta, in capit. i. de his, quæ vi metusque causa, libr. 6. excommunicantur omnes, qui absolutionem, vel reuocationem sententiæ excommunicationis, suspensionis, vel interdicti extorserint per vim, aut metum.

Decimasexta, in cap. Mulieres. de iudicijs in 6. excommunicatur, qui fingit casum, vel aliquam fraudem facit, quo ipse iudex in propria persona vadat, ad accipiendum testimonium alicuius sceminæ.

Decimasextima, in cap. Consultissimo, de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. Excommunicantur omnes, qui compellunt Prælatos, & alias personas Ecclesiasticas, ad submittendum sua iura, & bona laicis in casibus iure prohibi-

tis, &c. Et qui aliquid horum habentes per alium quem contractum licite factum, vsu pant plus quam per illum illis est permissum, & admoniti ab eo non desistunt.

Decima octava, in capit. Vnico. de Religiosis domib. in 6. In eos, qui instituunt nouum ordinem religionis; aut accipiunt nouum habitum illius absque speciali Pontificis facultate.

Decimanona, in capit. Quanquam de censibus, in exigentes à personis Ecclesiasticis, & eorum rebus portoria, vel pedagia, &c. quando non deferunt negotiandi causa. Hec etiam continetur in Bulla Cœnæ Domini.

Vigesima, in c. Quoniam, de immunit. Ecclesiarum in 6. Excommunicantur impediētes iurisdictionem Ecclesiasticam, & eius iudices, &c. Hæc etiam est in d. Bulla.

Vigesima prima, in cap. Eos. ibidem. in secularibus dominos, qui prohibent subditis, ne vendant, neque emant à clericis, neque molant frumenta, neque alia officia præstent.

Vigesima secunda, cap. Ut periculosa. Nec clerici vel monachi in 6. Excommunicantur in primis religiosi professi, temerè habitum deferentes, deinde religiosi euntes ad studia literarum extra claustra sine licentia sui prælati, aut cum ea, sine consensu maioris partis conuentus. Ad extremum Doctores, siue magistri, qui docent religiosos: leges, aut medicinam,

nam, qui reliquerunt suum habitum : aut eos detinent in suis Scholis.

Vigesimalertia, capit. Quicumque de hæreticis, in 6. Excommunicantur, qui sciēter præsumunt sepelire hæreticos in loco sacro, credentes, eorum receptatores, defensores, aut fautores, nec debent absolui, nisi proprijs manibus è sepultura extrahant, & è loco sacro deiciant : & locus talis perpetua debet carere sepultura, & extumulatio publicè vt fiat necesse est.

Vigesimaquarta, capit. Inquisitionis. ibidem. fertur in exercentes iurisdictionē secularem, qui non auxiliantur Episcopis inquisitoribus in negotio fidei, & inquisitionis; nec non in impediētes, & præbentes auxilium, consilium, vel fauorem.

Vigesimaquinta, in cap. I. de homicidio in 6. fertur in interficientes per Assassinos, aut iubentes, etiamsi mors non sequatur, Assassini dicuntur, qui non subsunt dominio alicuius, sed pro pecunia occidunt homines ad alicuius instantiam.

Vigimasexta, cap. I. de vsuris in 6. excommunicantur clerici qui non sunt Episcopi, si permittunt versari in terris suis sceneratores publicos alienigenas; vel non expellunt eos ex illis, vel locant illis, aut alio prætextu concedunt domos ad vsuras exercendum.

Vigimasextima, cap. I. de iniurijs, excom-
muni-

municantur concedentes, aut extendentes, nisi infra mensem à concessione, vel, extensione reuocauerint.

Vigesima octaua, in cap. Felicis. de pœnitentiis. 6. excommunicantur omnes Principes, Domini, & Iudices non obseruantes tenorem illius statuti contra percutientes, vel insequentes hostiliter aliquem Cardinalem. Hæc videtur reducta ad Bullam Cœnæ Domini.

Vigesima nona, in Clement. vnica. de sequestratione possessionum. excommunicantur, qui capiunt fructus beneficij impediunt, vel infringunt sequestrum inductum super beneficio ab ordinario, oblata in curia Romana vna sententia definitiua super possessione, vel proprietate eiusdem. Hæc hodie vacat.

Trigesima, in Clement. i. de sepult. excommunicantur sepeliētes aliquem in loco sacro interdicto in casibus non permissis, aut interdictos nominatim, vel excommunicatos publicos, aut vsurarios manifestos.

Trigesima prima, in Clement. i. de decimis, excommunicantur religiosi, qui noualia, aut decimas Ecclesijs debitas ad eos non spectantes appropriare sibi præsumpserint: aut qui exquisitis coloribus & dolis vsurpant.

Trigesima secunda, in Clement. Ne in agro quia vero, de statu Monachorum, excommunicantur religiosi administrationem non ha-

ben-

bentes, qui petunt aulas principum, animo nocendi suis prælatis, aut monasterijs, & ibidem etiam excommunicantur monachi, qui sine facultate Abbatis habent arma intra claustra monasteriorum.

Trigesimatertia, in Clement. Attendentes, eodem tit. excommunicantur præsumentes impedire visitatores monialium in eo, quod statuitur à Concilio in dicta Clem. si à visitatoribus admoniti non cessant.

Trigesimaquarta, in Clement. 1. de religiosis domibus, excōmunicantur fœminæ sequentes statum Beguinarum, vel de nouo institunt; & religiosi, qui eas iuuant consilio, auxilio, aut fauore.

Trigesimaquinta, in Clement. de consanguinitate & affinit. excommunicantur omnes scienter contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel consanguinitatis, aut affinit. Item contrahentes cum monialibus, nec non etiam religiosi, moniales, aut clerici in sacris constituti, matrimonium contrahentes cum quibuscunque: aut inter eos scienter eadem celebrantes.

Trigesimasexta, in Clem. Nolentes. de hæreticis. excommunicantur omnes inquisitores, & commissarij super hæresi deputati, qui prætextu sui officij deputationis, illicitè sumunt pecuniam aliquam, & qui scienter confiscant bona Ecclesiastica.

Tri-

Trigesimasextima, in Clem. de usur. excommunicantur omnes officiales ciuitatum, & cunctique appellentur, qui faciunt, scribunt, vel dicunt statuta, vt soluantur usuræ: vel solvere non possint repeti, & ij, qui iudicant usuras esse soluendas: aut non repetendas solutas & qui ad id potestatem habentes non eradunt ex libris talia statuta, vel consuetudinem vim eorum habentem.

Trigesimoctaua, in Clement. Cupientes de pœnis. excommunicantur omnes religiosi mendicantes, qui accipiunt nouas domos, vel noua loca in habitationem: aut commutant, vel alienant acquisita ante Concilium Lugdunense aliquo titulo. Sed huic Clementinæ sunt aliqua detracta per concessionem & priuilegium Pontificum. In eadem Clement. excommunicantur religiosi, qui concionantur vel aliter dicunt aliquid ad auertendos audientes à soluendis decimis debitis Ecclesiæ: aut religiosi, qui de industria nullum conscientie scrupulum in confessionibus incutiunt pœnitentibus de solutione decimarum, & si postea non expiata hac negligentia, cum commodè possint, præsumpserint concionari.

Trigesimanona, in Clement. I. de sententia. Excommunicat. Excommunicantur religiosi, qui non seruant interdictum, vel cessationem à diuinis, quam seruat Ecclesia cathedralis, vel matrix, vel parochialis oppidi.

Quadragesima, in extrauag. fin. de sentent. excommun. inter communes, excommunicantur impugnantes literas electi Papæ antequam coronetur.

Quadragesima prima, in Concilio Lateranen. sub Leone X. sess. 10. excommunicantur qui aliquem librum, vel quamlibet aliam scripturam imprimunt, vel faciunt imprimi sine approbatione Vicarij Pontificis, & sacri Palatij Magistri in vrbe. In alijs verò Diocæsisbus Episcopi: vel alterius ad id ab Episcopo deputandi, & Inquisitoris hæreticæ prauitatis illius Diocæsis. Hæc excommunicatio est innouata à Concilio Tridentino, sess. 4.

Quadragesima secunda, in extrauagan. Pauli Secundi, de rebus Ecclesiæ non alienandis, excommunicantur omnes, qui alienant, vel locant in plures annos, quàm tres, bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum extra casus iure permisos, & qui prædicta bona percipiunt. De vsu & praxi huius extrauagan. varij variè sentiunt, de quibus legendus Didac. Couarr. lib. 2. variarum Resolut. cap. 16. & 17.

Quadragesima tertia, in Concilio Trident. sess. 4. anathemati subijciuntur, qui non habent pro authenticis omnes libros sacrorum Bibliorum iuxta vulgatam editionem, quos enumerat Concilium. Aut etiam constitutiones Apostolicas scienter contemnent.

Quadragesima quarta, in eodem Concilio, sess. 24. capit. 6. de reformat. matrimonij. Mulierum raptores, ac illis consilium, auxilium, & fauorem præstantes, sunt ipso iure excommunicati.

Quadragesima quinta, in eadem sess. capit. 9. excommunicantur, qui quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogunt, quo minus liberè matrimonia contrahant.

Quadragesima sexta, sess. 25. capit. 5. de regularibus, excommunicationi subditur magistratus secularis, qui non vult præbere auxilium Episcopis volentibus instituere clausuram in monasterijs monialium, aut violatam restituere.

Quadragesima septima, in eodem loco, excommunicatur quicumque ingreditur intra septa monasterij monialium cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, aut superioris licentia in scriptis obtenta: hæc vt supra dictum nunc referuata est.

Quadragesima octaua, in eadem sess. cap. 18. excommunicantur omnes & singulæ personæ cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, qui quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem, præterquam in casibus iure expressis, ingredi monasterium, vel suscipere

perere habitum ; aut profiteri. Et qui consilium , auxilium , vel fauorem ad id dederint , vel præsentes ei actui scienter fuerint: Aut qui sanctam virginum , vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi , vel profitendi quoquo modo sine iusta causa impedierint:

Quadragesimanona, in eadem sess. cap. 19. de Reformat. excommunicantur concedentes locum ad monomachiam, vel duellum interris suis inter Christianos. Deinde etiam qui duellum committunt, & eorum Patrini. Tandem qui consilium dederint, aut suaserint, aut spectatores fuerint.

Sunt adhuc aliæ excommunicationes in extrauagantibus & Pontificum Bullis, quæ à diligentioribus sunt legendæ. Hæ pro rudioribus sufficiant.

CAPVT VIII.

DE SVSPENSIONE.

SVSPENSIO, vt censura Ecclesiastica, est qua personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui ordinis, officij, iurisdictionis, aut beneficij in totum : vel in partem ad certum tempus : vel in perpetuum quo ad partem, ob culpam suam, à iudice, vel à iure.

Vv 2 Suf-

Suspensio est triplex, Officij, & beneficij, Officij tantum: vel partis eius: & beneficij: vel rei pertinentis ad illud tantum.

Deinde suspensio alia est ab homine: alia à iure: Quando suspensio lata est, videndus tenor verborum, quia suspensus ab ordine, non censetur à beneficio suspensus; aut contra: neque suspensus ab vno actu: ab alijs iudicatur suspensus. Sic suspensus tantum à prædicationis officio, celebrando non peccat, nec efficitur irregularis. Hic etiam nota, quod à minoribus suspensus, intelligitur etiam à maioribus suspensus, non contra, sic suspensus à Subdiaconatu, est etiam à Sacerdotio suspensus, non contra.

Suspendere potest omnis, qui habet iurisdictionem cogendi per censuras. Solæ autem personæ Ecclesiasticæ possunt suspendi; quia his solum competit exercitium ordinis, officij, & beneficij.

Quicumque violat suspensionem propriè dictam, de qua nunc agimus, peccat mortaliter, & incurrit irregularitatem, si violat exercendo actum peculiarem alicuius ordinis.

Quoniam suspensio clericos tantum concernit, eis etiam competit cognoscere in quibus casibus incuratur. Proinde breuiter suspensiones iuris subijciemus. Qui latiore cupit doctrinam, legat Summistas in verb. Suspendio. Nauarr. in Manuali, cap. 27. à num. 156
Epif.

Episcopum Scalan. in tract. de suspensione in Enchiridio, & Doctores canonum in locis citandis.

Prima, In 18. d. c. vlt. Episcopus suspenditur duobus mensibus ab officio, si post prouinciale Concilium celebratum infra sex menses nō conuocat Abbates, Presbyteros, & clericos, ad referendum eis acta Concilij.

Secunda, capit. Nullus. 55. d. Episcopus ipso iure suspenditur per annum à celebratione missæ, si scienter ordinat solemniter pœnitentem.

Tertia. 75. d. cap. 1. & 2. Episcopus suspenditur per annum à celebratione missæ, si ordinat aliquem inuitum.

Quarta, 32. d. c. Nullus. & 15. quæst. 8. ca. Suscitantibus. Clerici in maioribus notorij fornicarij, sunt suspensi, donec pœniteant. Etsi clericus notorius fornicator administret in officio suo ante actam pœnitentiam fit irregularis dispensandus tantum per Papam. Syluest. in verb. Clericus 2. q. 8. Idem cum alijs in verb. Concubinarius.

Quinta, In 58. d. c. fin. Episcopus, qui ordinat monachum sine licentia Abbatis, est suspensus à communione aliorū in sua Diœcesi.

Sexta, in capit. Cum in cunctis. de elect. Clerici eligentes in Episcopum indignum quantum ad ætatem, scientiam, & mores, suspensi sunt tribus annis à beneficijs.

Septima, in eod. tit. c. *Quisq;*. Clericus consentiens electioni de se factæ per potestatis secularis abusum, fit ineligibilis, & eligentes pro prima vice sunt suspensæ ab electionis potestate.

Octava, in extranag. Pij secundi. Cum ex sacrorum. Qui sine legitima facultate, vel ætate, vel extra tempus legitimum, ordinem sacrum accipere præsumperint, suspensi sunt ab ordinibus, & si exerceant, fiunt irregulares & solus Pontifex dispensat.

Nona, cap. *Quorundam*. de solut. suspenditur ab administratione spiritualium, quilibet grauens Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis, aut literas, & sigillum concedens, quibus possint obligari Ecclesiæ.

Decima, in cap. *Tanta*. de excessib. prælatorum. Clericus non seruans interdictum loci, est suspensus ab officio & beneficio.

Vndecima, in cap. *Sacro*. de sent. excomm. suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ ferens sententiam excommunicationis, non præmissa canonica admonitione coram idoneis testibus.

Duodecima, in cap. *Cum medicinalis*. eod. tit. in 6. Suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs, qui excommunicat, interdicit, aut suspendit aliquem solo verbo, sine scripto, aut expressa causa illius.

Decimatertia, in cap. *Cum æterni*. de sent. & re iudicata, suspenditur vno anno à suo officio

officio Iudex Ecclesiasticus ordinarius, vel delegatus, qui contra iustitiam, & conscientiam in grauamen partis alterius, in iudicio quicquam faciens per gratiam, vel sordes.

Decimaquarta, in cap. præsentis. de offic. ordinarij. Suspenduntur Episcopi, & superiores eorum ab ingressu Ecclesiæ, & inferiores ab officijs & beneficijs, qui vsurpant aliquid ex redditibus dignitatum, & Ecclesiarum vacantium, & illis subditarum, quos reliquerunt mortui, vel collecti fuerunt, durante vacatione, nisi habeant speciale priuilegium, vel consuetudinem præscriptam ad hoc.

Decimaquinta, in cap. Hac constitutione. de offic. delegati in 6. Conseruator sedis Apostolicæ suspenditur per annum ab officio, si scienter se intromittit de alijs, quàm de manifestis & notorijs.

Decimasexta, in cap. Exigit. de censib. in 6. Episcopi & superiores suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ: Inferiores ab officio & beneficio, qui visitantes exigunt pecuniam, vel munera accipiunt, vel à non visitatis accipiunt procurationem.

Decimasextima, in cap. Usurarum de vsur. in 6. Suspenduntur Episcopi, & superiores, qui vsurarijs manifestis non oriundis de terris ipsorum quocunque titulo concedunt domos ad exercendum fcenus, donec eos expellant.

Decimaoctaua, in cap. Episcoporum. de pri-

uilegijs in 6. Suspenduntur ab ingressu Ecclesie, donec satisfaciant admittentes ad diuina officia, aut sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam excommunicatos, aut interdictos publicos.

Decimanona, in Clement. Quoniam. de vita & honest. cleric. Suspenduntur ad sex menses clerici beneficiati, qui gestant vestes partitas, vel coloribus distinctas, & sacro ordine initiati, qui non sunt beneficiati, & minoribus insigniti, qui cum prima tonsura gestant tales vestes.

Vigesima, in cap. Non solum. & cap. Constitutione. de Regular. in 6. Suspenduntur, qui admittunt aliquem ad professionem ante finitum annum probationis, in aliquo ordine mendicantium.

Vigesima prima, cap. Si quis. de Simonia. Qui ordinat aliquem sub promissione de non petendo ab ipso prouisionem, siue victum, per triennium suspensus est à collatione ordinu, & presentator ab executione ordinum per triennium suspensus est. Ordinatus vero in perpetuum suspensus est, nisi cum eo à sede Apostolica dispensetur.

Sunt plures alie suspensiones, de quibus legendi Doctores.

De absolute à Suspensione.

QUANDO suspensio lata à iudice, vel iure,

se, cum conditione, donec satisfeceris, vel penitentiam impleueris, impleta conditione suspensio cessat, nec est opus alia absolutione. Eadem est ratio, quando quis suspensus est ad certum terminum, ex. gr. in annum, finito anno desinit suspensio.

Quando autem lata à iudice ad incertum tempus ipse qui eam tulit, potest absolvere, vel successor in officio, aut dignitate, vel eo superior. Aliàs potest absolvere Episcopus, vel eius vices gerens, nisi sit reseruata alicui, aut inflicta propter peccatum, à quo Episcopus non possit absolvere, vel dispensare in eo.

In absolutione autem non sunt certa, de necessitate verba, sed sufficit vt sint talia, quæ significant actum absolutionis à tali censura. Potest autem hæc forma obseruari. Absoluo te à suspensione, quam incurristi ob talem causam, & restituo te pristinæ executioni, &c.

CAPVT IX.

DE INTERDICTO.

INTERDICTVM est quædam prohibitio, qua in aliqua terra, vel Ecclesia, vel personis, interdicitur administratio sacramentorum, vel diuinorum officiorum celebratio, seu executio aliquorum spiritualium.

Interdictum est triplex. Locale tantum;

Vv 5 Per-

Personale tantum. Locale & personale simul. Locale quando interdicitur ciuitas, prouincia, & similia. Personale, quando populus, clerus, Collegium, &c.

Locale & personale simul, quando locus cum personis interdicitur. Quodlibet istorum interdictorum est iterum duplex. Generale, & Speciale. Generale locale, quando interdicitur locus generalis, & vniuersalis: vt regnum, prouincia, Episcopatus, ciuitas, &c. Generale Personale, quando interdicitur aliqua vniuersitas hominum: vt vrbs, Collegij, &c.

Speciale, quando aliquis locus specialis, vt aliqua Ecclesia interdicitur; & personale speciale, quando certæ aliquæ & determinatæ, vel indeterminatæ personæ interdiciuntur: vt ex. gr. facientes hoc vel illud.

Clero interdicto non intelligitur populus interdictus, & contra populo interdicto, non censetur clerus interdictus, cap. Si sententia, de sent. excomm. in 6.

Clerici in sacris ordinibus constituti, si violant interdictum, peccant mortaliter, & incurrunt irregularitatem, in qua solus Pontifex dispensat, cap. Is qui. de sentent. excomm. in 6. & cap. Is cui ibidem. & alijs pœnis sunt puniendi. Clerici autem in minoribus interdictum violantes etsi peccent, non incurrunt irregularitatem, quia textus iuris so-
lum

lum loquuntur, de clericis in maioribus, & lex pœnalis potius est restringenda, quàm amplianda.

Laici etiam scienter transgrediendo interdictum, audiendo missam mortaliter delinquent: Quia in re graui contra præceptum Ecclesiæ agunt, cap. Alma mater. de sentent. excommun. in 6.

In generali interdicto loci non personæ, standum est determinationi d. cap. Alma mater. Ita vt quotidie in Ecclesijs, & monasterijs, missæ & alia officia celebrari possint, sicut prius: voce tamen submissa, ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & in festiuitatibus Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis, Omnium sanctorum, etiam pulsatis campanis diuina celebrantur, exclusis tantum excommunicatis, dum tamen illi, propter quos positum est interdictum, non appropinquent altari, id est, non faciant offertorium, & dies incipit à vespers vigilæ, vsque ad festi completorium. Eisdem diebus aqua potest solemniter benedici, & aspergi, &c. Sacramentum etiam Baptismi tam adultorum, quam paruulorum etiam conceditur, & confectio chris-matis in die Iouis sancto: pœnitentia tam sanctorum, quàm morientium, exceptis excommunicatis, & illis quorum culpa, vel dolo lata est sen-

ten-

tentia, &c. Conceditur etiam viaticum existentibus in periculo mortis, & potest portari cum lumine, & campanula, nec prohibentur interdicti adorare hostiam, nisi cum diuina officia actualiter celebrantur.

Casus in quibus Interdictum iure incurritur.

Primus, Quando collegium, vel vniuersitas ab Ecclesijs & Ecclesiasticis personis exigat pedagias, vel recipit collectas, &c. cap. Clericis. de immunitat. Ecclesiarum in 6.

Secundus, Quando vniuersitas, vel collegium locat in terris suis domos alienigenis ad exercendum vsuras. i. de vsur in 6.

Tertius, Vniuersitas cadit in interdictum concedens repræsalias contra personas Ecclesiasticas. c. Etsi pignorationes. de iniurijs in 6.

Quartus, Contra non seruantes seruanda in electione Papæ.

Quintus, Quæcunque ciuitas, excepta Roma, dat auxilium, consilium, vel fauorem, occidentibus, & percutientibus, Cardinalem, vel non puniens infra mensem, si potuerit, capit. fœlicis. de pœnis. lib. 6.

Sextus, Ciuitas, quæ proprium Episcopum percusserit, vel ceperit, aut in exilium miserit. Clemen. Si quis suadente. de pœnis.

Septimus, Clerici vel religiosi inducentes aliquem ad vouendum, vel promittendum de sepultura, si in Ecclesia postmodum eum sepe.

sepeliant, si non restituant omnia infra decem dies, capit. Animarum periculum. de sepult. in 6.

Octauus, Regnum, castrum, aut locus, quando dominus eorum impedit, ne legatus, aut nuncius Papæ possit exequi suum officium, & tam diu durat, quam diu perseuerauerit in huiusmodi pertinacia, in Extrauag. Super gentes & regna. de officio legati. Notandum tamen, quod in his casibus, & alijs, quibus de iure interdictum incurritur, nemo tenetur seruare interdictum ante denunciationem per iudicem faciendam. Specialiter etiam locus quandoque à iure interdicatur.

Primo, Quando Ecclesia est polluta per homicidium, vel iniustam sanguinis effusionem, aut humani feminis studiosè procuratam.

Secundo, Cum propter discordiam patronorum Episcopus claudit ostia Ecclesiæ, & tollit inde reliquias, & mandat nullum sacrum mysterium ibi celebrari, donec redeant ad concordiam, cap. 1. & 2. de iure patronatus.

Tertio, Quando Ecclesia per Simoniam est consecrata, 1. q. 1. cap. Ecclesia.

Quarto, Si principaliter pro quæstu fuit consecrata, de consec. d. 1. c. Si quis Basilicam.

Quinto, Si consecrata sine licentia Diocæsani Episcopi, de consec. d. c. 1. præcepto.

Sexto, Si sine reliquijs, & in loco deserto, de consec. d. 1. cap. Placuit.

Septi-

Septimo, Si hæreticus scienter tradatur sepultura Ecclesiasticæ, cap. Quicumque. de hæreticis in 6.

Quando interdictum fertur ab homine ob contumaciam; debet fieri præcedenti canonica monitione, & in scripto continente causam interdicti, nec est certa etiam verborum forma in ferendo interdicto seruanda: sicut nec in relaxando.

Quando interdictum positum ab homine, relaxandum ab eodem: aut successore: aut à superiori: Si verò sit à canone ad certum terminum, elapso termino cessat: Aliàs si conditor iuris non reseruauit, Episcopus potest relaxare.

Ad interdictum prope accedit cessatio à diuinis, quæ nihil aliud est, quàm quædam defistentia à diuinis, & administratione sacramentorum, vt ipsum nomen significat.

Cum autem cessatio à diuinis non sit censura, transgrediens eam licet peccet, non tamen efficitur irregularis.

Est etiam duplex cessatio à diuinis, generalis, quæ fit in loco vniuersali, vt ciuitate, aut parochia, &c. Et specialis, quæ fit in loco particulari: vt in aliqua Ecclesia, vel Ecclesijs.

CAPVT X.

DE IRREGVLARITATE

in communi.

DE hac materia legēdi Summistæ in verbo Irregularitas. Nauarrus in Manuali, cap. 27. à num. 191. Didac. Couarr. in Clement. sī furiosus. de homicid. Candelab. aureum 2. par. Episcopus Scalen. In Enchridio, de censuris in tract. de Irregularitate. Doctores canonum in diuersis locis canonum.

Quid est Irregularitas?

EST nota seu impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoueri, & in eis iam promotus ministrare prohibetur. Ex hac definitione & superioribus cognoscitur, irregularitatem nō esse censuram Ecclesiasticam, sed inhabilitatem quandam ad officia Ecclesiastica: Quare notandum pro simplicibus & rudibus, quod quando in forma & concessione Iubilæi, aut Bullis Apostolicis, à Pontifice conceditur potestas absoluendi à casibus reseruatis, & censuris, non extenditur ad irregularitatem, nisi eius specialis mentio fiat, vt docet Nauarr. loc. cit. num. 194. & 254. Episcopus Scalen. vbi supra, c. 3. & alij alibi.

Pro

Pro generali cognitione huius materie regulas quasdam præmittemus, quæ sequentibus viam aperient.

Prima, Nullus incurrit irregularitatem sola voluntate peccandi, aut committendi illud, ob quod à iure imponitur, nisi sequatur effectus, vt Doctores tradunt: exempli gratia. Si quis procurare intendat homicidium, quamuis peccet, si nemo occidatur, non efficitur irregularis.

Secunda, In dubio in foro exteriori nemo est iudicandus irregularis: Secus autem interiori siue conscientiæ, Panorm. in cap. Ad audientiam. de homic. Nauar. & Episcopus Scalen. loc. cit. & alij alibi.

Tertia, Nemo fit irregularis nisi in casibus à iure expressis, cap. Is qui, de senten. excomm. in 6. Archidiac. Dominic. & Philipp. Franc. ibidem, Innocent. in capit. Tanta. de excessibus prælatorum, & alij alibi. Quia cum irregularitas iure sit inducta, & pœna, non est extendenda nisi ad casus iure expressos.

Quarta, Irregularis quamuis mortaliter peccet toties, quoties celebrat, aut actum alicuius ordinis in irregularitate perseverans exercet, antequam obtineat dispensationem, non tamen incurrit nouam irregularitatem. Quia irregularitas non est censura, ideo eam violans non fit de nouo irregularis, sicut fit in violante censuras.

Quinta

Quinta, In omni irregularitate descendente ex delicto occulto, & non deducta ad iudicium, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario nascitur, potest Episcopus dispensare. Concilium Tridentinum sess. 24. capit. 6. de reformat.

Sexta, Quando irregularitas ex crimine oritur, infans non habens usum rationis, eam non incurrit, nec furiosus, ex Clement. Si furiosus. de homicid. & communi sententia. Ratio reddi potest, quia cum huiusmodi non habeant iudicium ad mortaliter delinquendum, non incurrunt irregularitatis pœnam.

Septima, Cessante irregularitatis causa cessat irregularitas: sicut generaliter cessante causa cessat effectus. c. cū cessante. de appellat. Simon Maiolus de irregular. lib. 1. c. 2. Candellabrum aureum part. 2. de irregul. nu. 24. Exemplum est in vita s. Ioannis Damasceni apud Surium, cui manus abscissæ, & postea miraculose restitutæ fuerunt. Sic si quis manus ita debilitas haberet, q̄ non possit Eucharistiam tractare, esset irregularis; Si tamen arte medicorum sanitati restitueretur, cessaret irregularitas, & de similibus similis est ratio.

In multis casibus irregularitas incurritur, de quibus legendi Doctores canonum in multis titulis. Summissæ in verbo Irregularitas. Hic saltem frequentiores subijciemus.

CAPVT XI.

DE IRREGVLARITATIBVS
contingentibus circa homicidium:
& ei annexa.

ANTE omnia aduertendum, quod homicidium tribus modis potest contingere. Vno modo voluntariè, & iniustè, vt quando priuatus homo ex odio, vel ira, deliberato animo interficit proximum. Secundo casualiter & præter intentionem: vt ex. gr. in sylua intendit rusticus bombardam emittere in feram, interficit hominem casu prætereuntem, què non vidit. Tertio voluntariè, & iustè: vt quando minister iustitiæ occidit malefactorè morti adiudicatum. Nunc clarè per conclusiones necessariam doctrinam huius materiæ resoluemus.

Prima Conclusio. Omnis Christianus habens vsum rationis, qui voluntariè & iniustè alium hominem, vel seipsum occidit, deformat, vel mutilat efficitur irregularis. Hæc Conclusio, patet ex cap. Sicut dignum. & capit. de cætero. & alijs de homic. & Clem. Si furiosus. eod. tit. Dictum in conclusione, (omnis Christianus) includitur solum masculinum genus, quia fœmina cum non sit capax characteris ordinis, non fit irregularis (Christianus) quia non bapti-

baptizatus non incurrit hanc speciem, quamvis alia ratione sit irregularis, (habens vsum rationis,) quia eo carens non incurrit, ex d. Clemen. (voluntariè & iniustè) quia qui vel præter intentionem, aut iustè occidit alium, speciem irregularitatis aliam incurrit, in qua facilior est dispensatio, (alium hominem, vel seipsum) quia si quis occidat bestiam, & non hominem non fit irregularis: hinc si quis etiam occidat embrionem non incurrit, quia cum careat anima rationali, non est homo (occidit vel mutilat) quia qui vulnerat, aut parum debilitat, quando mors, aut membri mutilatio non sequitur, non efficitur irregularis contra multorum ignorantiam.

Secunda Conclusio. Omnis vtens ratione, dās causam propinquam quocunque modo iniustæ occisioni, aut mutilationi, si effectus sequitur, efficitur irregularis. Est communis sententia. Si autem nec mors, nec mutilatio, nec grauis deformatio inde secuta fuerit, non efficitur irregularis etiam si quis animum occidendi, aut mutilandi habuerit. Syluest. in verb. Homicidium 3. num. 2. Armil. in verb. Irregularitas. num. 2. Nauar. in Manuali, c. 27. num. 223. Fœlicianus Episcopus Scalensis de cens. de irregularit. cap. 9. Sotus lib. 5. de iust. & iure. q. 1. art. 4. & post alios plures Couarr. in d. clement. Si furiosus. part. 2. in initio. nu. 5. & Candelabr. aureum loc. cit. numer. 207.

quicquid alij quidam allegati à Couar. in contrarium dicant. Hinc qui dant consilium, mandant, iuuant, præmium aut mercedem pollicentur occidenti, aut mutilanti, incurrunt irregularitatem. Eadem est ratio, de his qui arma, aut venena porrigunt, ad talem effectum. Alia tamen est ratio de fabro, qui arma facit, quibus fortassè alij occidentur: quia hic dat causam remotam.

De homicidio casuali.

TERTIA *Conclusio.* Qui dat operam rei licitæ, adhibens diligentiam debitam, neque sinistram habens intentionem occidendi, aut mutilandi, non efficitur irregularis quamuis ex sua actione sequatur homicidium, aut mutilatio. Quia cum talis actus omninò sit inuoluntarius, nec culpabilis, non imputatur ad pœnam. Hinc qui in defensionem propriam cum moderamine inculpatae tutelæ occidit, non fit irregularis ex d. Clem. contra multos Theologos.

Quarta Conclusio. Qui dat operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, vel existens in culpa commissionis leui, non autem leuissima fit irregularis, si ex sua actione mors sequatur.

Quinta Conclusio. Qui dat operam rei illicitæ, quæ ex sua natura periculosa est, & nata inferre mortem, aut mutilationem, aut est
suffi-

sufficienter directa ad mortem arbitrio boni viri, fit irregularis, etiam si præter suam intentionem sequatur mors. Hanc conclusionem tradunt Nauarr. loc. citat. Dominicus Sotus de iustit. & iure libr. 5. quæst. 1. art. 9. Iosephus Angles in floribus in 4. sentent. part. 1. de sacramen. ordin. art. 4. difficult. 2. & alij iuniores: est contra multos canonistas. Syluestrum in verb. Homicidium 2, Angelum eodem verb. & alios, qui tradunt semper dantem operam rei illicitæ fieri irregularem, si effectus sequatur, etiam si debita diligentia adhibeatur.

Sexta Conclusio. Qui dat operam rei illicitæ, erit irregularis, si ex sua negligentia homicidium sequatur. Constat ex capit. Dilectus. capit. Ex literis 2. & alijs de homicid. & secundum hanc conclusionem sunt exponendi canones, qui militare videntur contra quintam conclusionem. Cum enim talis negligentia sit culpabilis, censetur voluntaria, & mereri poenam.

Septima Conclusio. Qui sunt in causa, ut alij citius moriantur, ut qui infirmis assistunt, ipsos mouent, vel in alium locum ponunt, aut dant cibum, vel potum, unde mors acceleratur, si id bona fide faciunt, sine fraude & dolo, aut culpa notabili, licet in aliquo fortè errauerint, non fiunt irregulares, ut communiter Doctores sentiunt. Si autem quis in hac re scrupulosam habeat conscientiam, deponat

ad consilium boni viri, vt Angelus verb. Homicidium 2. §. 14. & alij alibi tradunt. Ratio dictæ conclusionis esse potest: Quod cum irregularitas sit pœna grauissima Ecclesiæ, bona fide operantes non videtur compræhendere.

Octaua Conclusio. Qui pugno alicui excutit dentem, non efficitur irregularis, neque ad hunc effectum dicitur mutilator: quia dens non est membrum, per se distinctum habens officium in corpore: & pœnæ iuris non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Nona Conclusio. Omnis, qui iustè hominem occidit, aut mutilat, vel etiam licito modo dat causam propinquam mortis, vel eius accelerationis, si sequatur mors, aut mutilatio, efficitur irregularis, nisi fiat in casu infirmitatis, aut in defensionem propriæ vitæ, & amicorum, cum moderamine inculpatae tutelæ, vt supra insinuatum. Hæc conclusio constat ex canonibus, 50. d. capit. Si quis viduam. capit. Aliquos. dist. 51. & capit. Clericis. & capit. Sententiam, Ne clerici vel monachi, & alibi. Hæc irregularitas oritur ex iusta & licita occisione sine peccato præcedenti. Visum est enim Ecclesiæ, non posse satis eum referre mansuetudinem Christi, qui alium occidit, aut mutilat. Hæc irregularitas tamen cum non trahat originem ex peccato, non tam grauis est, sicut ea, quæ nascitur ex homicidio iniusto.

iusto, proinde facilius in ea dispensatur. Hanc irregularitatem incurrunt condemnantes ad mortem, aut mutilationem, Accusator, Testis, Notarius, siue scriba, proferens sententiam, Assessor, consilium præbens, Officialis, & quilibet iustitiæ executor.

Decima Conclusio. Prælatus Ecclesiasticus habens iurisdictionem temporalem in aliquo dominio, quamvis non possit personaliter cognoscere, iudicare, aut executioni interesse in causa sanguinis, potest tamen constituere officialem cum potestate, & mandare in genere, vt faciat iustitiam, non descendendo ad genus mortis in particulari casu, cap. fin. Ne clerici vel monachi in 6.

Vndecima Conclusio. Clerici de laicis suis malefactoribus possunt conqueri, apud iudicem secularem, & emendam petere, quamvis in tali casu, de iure pœna sanguinis debeat, modo expressam faciant protestationem, quod non intendant pœnam sanguinis, cap. Prælatis. de homicidio in 6. Ratio redditur à canone, quia alioquin daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona libere deprædandi.

Duodecima Conclusio. Prælatus habens iurisdictionem in loco, si interest in executione iustitiæ, irregularis est, cap. ex literis. de excessibus prælatorum, Angel. in verb. Homicidium, & in verb. Irregularitas. §. 7. Panormit.

Xx 4 in d.

in d. cap. ex literis. Nicolaus Ploue de irregularit. reg. 20. Summa confess. lib. 2. tit. 1. qu. 53. Armilla in verb. Irregularitas. num. 2. Candelabrum aureum loc. cit. num. 275. & communiter DD. alij alibi. Quia talis prælatus habens iurisdictionem, censetur auctoritatem præstare vindictæ sanguinis.

Decimatertia Conclusio. Clerici non habentes iurisdictionem in loco, si ex curiositate, aut alia causa interfunt vindictæ sanguinis, quamvis peccent, & quidem graviter, vt Gloss in ca. Sententiam, ne clerici vel monachi, & Doctores ibidem, & alibi sentiunt, non tamen fiunt irregulares, hæc est cõmunis opinio. Hæc conclusio intelligenda de clericis in sacris, & beneficiatis. An autem tale peccatum sit mortale dubium esse posset. Quia Doctores aliqui dicunt, quod graviter peccent, existimo quod quando sunt clerici iuniores, non in sacris, quamvis sint beneficiati, si ex curiositate currunt, aut à parentibus mittuntur, vt exemplo iustitiæ contineantur à malefactoris, quod non peccent mortaliter, frequentatio tamen non est laudanda. Qui autem comitantur malefactores causa consolandi, aut audiendi confessiones, non peccant, sed opus pietatis præstant.

Decimaquarta Conclusio. Qui sunt causa accelerationis mortis condemnato, vt dicendo, admoue caput ad stipitem, aut ascende citò scalam, aut consulendo iudici, siue rogando eum,

eum, vt viuum comburendum, curet prius strangulari, &c. fiunt irregulares secundum communem DD. sententiam. Quia sunt causa accelerationis mortis. Quare confessarij, & pro consolatione comitantes condemnatum, in his & similibus debent esse prudentes, ne in laqueum currant.

Decimaquinta Conclusio. Inquisitor tradens hæreticum iudici seculari, quem scit comburendum, & instans apud iudicem, vt comburatur non fit irregularis. Hostiens. in cap. Ad audientiam. de homicid. Felin. in cap. Ad abolendum. de hered. & communis opinio in ver. Irregularitas.

Decimasexta Conclusio. Portantes ligna ad comburendum hæreticum, quando ligna sunt cooperata ad mortem fiunt irregulares. S. Antonin. in 3. part. tit. 28. cap. 2. Angelus verb. Irregularitas. §. 18. & communis ibidem. Nauar. capit. d. numer. 217. Hinc deducitur quod clerici, vel laici, qui assumere Ecclesiasticum statum volunt, non debent mitti à parentibus ad portandum ligna, vel stramina ad comburendum Sagas, ne incurrant irregularitatem, in qua solus Papa dispensat.

Decimasextima Conclusio. Clericus existens in bello iusto, de licentia Pontificis exprimentis, quod etiam possit pugnare, occidendo nõ fit irregularis; quia in tali casu censetur tollere pœnam irregularitatis, quod facere potest, cū sit de iure positiuo.

Xx s De-

Decima octava Conclusio. Clericus existens in bello iusto pro defensione patriæ, vel oppressorum, contra prædones cum armis defensionis, hortans bellantes, & intercedens pro eis orationibus dummodo non occidat, aut mutilet, non fit irregularis: Alia tamen ratio est; si occidat aut mutilet, nisi id fieret, vim vi repellendo cum moderamine inculpæ tutelæ.

CAPVT XII.

DE IRREGVLARITATE, qua nascitur ex defectu corporali.

DE hac irregularitate, vide in 55. d. in decretis, & in tit. de corpore vitiatis, Summistas in verb. corpore vitiatus.

Prima Conclusio. Defectus cuiuslibet membri principalis contractus ex culpa, inducit irregularitatem, etiam si sit occultus, nec facultatem exercendi actum ordinis impediat, cap. Si quis absciderit. & c. Hi qui. & c. 55. & d. c. 1. & 2. de corpore vitiatis.

Secunda Conclusio. Mutilus aliquo membro minori, & occulto sine sua culpa, vt ratione infirmitatis, vel alia iusta de causa, si huiusmodi membri defectus, non reddit impotentem

tem ad exercitium ordinis, non est irregularis, cap. Enochus. 55. d. & cap. ex part. 1. de corpore vitiatis.

Tertia Conclusio. Quilibet defectus membri, qui aliquem ineptum reddit, ad exercitium actus sui ordinis, vel horrorem notabilem ob nimiam deformitatem: aut scandalum inducere potest, ex quacunque causa originem trahat, reddit irregularem, c. Exposuisti. & c. Thomas. eod. tit. Panorm. cap. Presbyterum, de clerico ægrotante, & communis sententia. Quis autem talis defectus sit, Episcopus iudicabit secundum Innoc. communiter receptum, c. 1. de corpore vitiat. Ex hac conclusione & alijs de varijs casibus iudicium sumi potest.

Quarta Conclusio. Habens membra superflua, vtpote sex vel septem digitos in pede, aut manu, &c. dummodo nullum inde oriatur impedimentum in vsu, in ordine ad exercitium ordinis, nec nimia deformitas generetur, non est irregularis, vt DD. sentiunt; & ex dictis colligitur.

Quinta Conclusio. Illegitimè natus est irregularis, nec potest ad ordines sine dispensatione promoueri. c. 1. & fin. de filijs presbyterorum, &c. Is qui, eod. tit. in 6. & c. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi, &c. Potest autem Episcopus dispensare ad minores ordines, & simplex beneficium. cap. 1. & 2. de filijs presb.

presb. in 6. Syluest. in verb. Irregularitas. q.
20. Rebuff. in praxi benef. 2. part. in capit. De
dispens. super defectu natalium, & alij com-
muniter. Ad maiores & sacros, solus Pontifex.

*Dubium. Quid censendum de infantibus expositis
an pro legitimis, vel illegitimis sint iudicandi,
& consequenter, an sine dispensatio-
ne possint ad ordines pro-
moueri?*

Dubitationi locus est, quando nescitur an
sint nati ex legitimis parentibus. Promo-
neri posse sic expositos ad ordines sine dispen-
satione opinatur Ioan. ab Anania, in cap. 1. de
infantib. expos. Felin. in cap. Deputati. de iu-
dicijs. in fine. Bermondus Choueronius de
public. concubinarijs, super. verb. Qui etiam
filios. num. 90. & Cardin. Paleotus de filijs no-
this & spurijs, cap. 63. num. 3. & scribit hanc
opinionem communiter receptā. Alij existi-
mant pro illegitimis habendos esse expositos;
cum in dubio nō præsumaturs quis legitimus.
& hanc opinionem amplectuntur post alios
Simon Maiol. de irregular. lib. 1. cap. 11. Couar.
in Clement. Si furiosus. 1. part. in princ. nu. 9.
Candelabrum aureum 2. part. de irregular.
numer. 124. qui duo postremi censent cum
dispensatione Episcopi posse promoueri ad
ordines.

*Sexta Conclusio. Qui ante debitam ætatem
ordi-*

ordinatur, quamuis characterem recipiat, est tamen suspensus ab exercitio ordinis, & si co-
utatur ante legitimam ætatem fit irregularis
ex Extrauag. Pij secundi, incipiente. Cum ex
sacrorum, quam ponit ad verbum Fœlicia-
nus Episcopus Scalens. in tractat. de suspen-
sione, cap. 14. in Enchiridio. Nunc secundum
definitionem Concilij Tridentin. sess. 23. cap.
12. de reformat. nullus ad Subdiaconatus or-
dinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Pres-
byteratus ante 25. ætatis suæ annum promo-
uendus est.

Septima Conclusio. Abstemijs, qui prorsus
non bibit vinum, vel bibere non potest, sine
periculo vomitus, irregularis est, nec potest
promoueri ad ordines ex Gloss. recepta com-
muniter, 2. q. 2. cap. Ipsi Apostoli.

Octaua Conclusio. Bigami etiam sunt irregu-
lares, id est, qui cum pluribus vxoribus, vel
vna vxore non virgine corpus suum miscue-
runt. cap. præcipimus. & cap. Si quis vi-
duam. 34. d. & in tit. de Biga-
mis non ordinandis.

(:o:)

CA.

CAPVT XIII.

DE IRREGVLARITATIBVS,
 qua incurruntur circa malam receptio-
 nem & exercitium ordinum, &
 violationem Censura-
 rum.

PRIMA *Conclusio.* Existens in maiori ex-
 communicatione scienter, & recipiens or-
 dines, etiam minores, efficitur irregularis. ca-
 pit. 1. de eo, qui furtiuè suscepit ordines. & cap.
 Cum illorum. de sentent. excommun. Eadem
 est ratio, quando quis suspensus ab ordine sci-
 enter eum recipit. Dictum est (in maiori ex-
 communicatione) quia in minori recipiens
 ordinem quamuis peccet, non tamen efficitur
 irregularis.

Secunda Conclusio. Qui excommunicatus,
 interdictus, aut suspensus, celebrat, aut exer-
 cet actum alicui ordini attributum, fit irre-
 gularis, cap. Si quis presbyter. de clerico ex-
 comun. ministrante, & DD. ibidem. & c. 1.
 de sentent. excommun. in 6.

Tertia Conclusio. Qui quatuor minores or-
 dines, & Subdiaconatum vno die absque dis-
 pensatione Apostolica recipit, incurrit irre-
 gularitatem, cap. 2. de eo, qui furtiuè suscipit
 ordines, & communis sententia ibidem. Pu-
 tat

tat tamen Antoninus 3. part. tit. 14. capit. 16. quod quando in aliquo loco talis est consuetudo, quod recipientes excusentur, & à fortiori, omnium sententia est irregularis suscipiens duos sacros eodem die.

Quarta Conclusio. Qui recipit ordinem furtiue fit irregularis, patet ex toto tit. de eo qui furtiue suscipit, &c.

Quinta Conclusio. Efficitur etiam irregularis, qui solemniter exercet actum ordinis quem non habet: vt si constitutus in minoribus cum stola & alijs ornamentis debitis canet Epistolam. cap. 1. & 2. de clerico non ordinato administrante: Si autem clericus in minoribus sine sacris vestibus, vt alius clericus in necessitate nullo existente Subdiacono canet Epistolam, non incurrit irregularitatem: quia id sine solemnitate tanquam minor clericus facit.

Sexta Conclusio. Ordinatus ab Episcopo excommunicato, interdicto, simoniaco, hæretico, deposito, aut degradato, est irregularis, 1. qu. 1. can. Gratiam. cap. Statuimus. cap. Si qui. cap. Constat. &c. hoc tamen intelligendum, quando Episcopus talis est denunciatus.

Septima Conclusio. Qui per saltum ordinatur recipiendo maiorem ordinem ante minorem, aut superiorem ante inferiorem fit irregularis, cap. 1. de clerico per saltum promotio.

Octaua conclusio. Suscipiens ordines ab alie-

no Episcopo sine licentia proprij, sine literis demissorijs, vel extra tempora, est suspensus vt supra dictum. ex Extrauag. Cum ex sacrorum, & si exercet actum ordinis ante absolutionem, fit irregularis, de pulchrâ & notabili intelligentia d. Extrauag. videndus, Nauarr. in cap. Accepta. de restitut. spoliat oppositione 8. Eadem est ratio de eo, qui ordinatur ab Episcopo, qui loco & dignitati renunciauit, sic ordinatus est irregularis.

Nona Conclusio. Qui celebrat, aut exercet actum alicuius ordinis peculiarem in loco interdicto, extra casus à iure permisos, fit irregularis. capit. Is qui. & cap. Is cui. de sentent. excommuni; in 6. Intellige in loco interdicto ab homine.

CAPVT XIV.

DE ALIIS QVIBVSDAM Irregularitatibus, quæ ex delictis nascuntur.

PRIMA *Conclusio.* Scienter rebaptizans, & sic rebaptizatus efficiuntur irregulares. Intellige de rebaptizato, qui scit se baptizatum & permittit se iterum baptizari, de consecrat. d. 4. can. Quibus. & c. Eos. & cap. Ex literarum de apostatis & reiterantibus Baptismum.

Secunda

Secunda Conclusio. Reiterantes confirmationem, & ordinem, non fiunt irregulares. Scotus in 4. sent. d. 7. quæst. 5. Dominicus Sotus ibidem. quæst. vnica. art. 5. Paludan. ibid. quæst. 2. Gabr. quæst. vnica. Turrecrem. in cap. Dictum de consecrat. d. 5. Angel. in verb. Irregularitas. §. 24. Syluester eodem verb. quæst. 4. Armilla num. 84. Aliphons. Castrenf. lib. 1. de lege pœnali cap. 7. & hæc est communis recepta DD. sententia, contra quosdam canonistas & alios. Ratio est ex regula supra posita. Irregularitas non incurritur, nisi in casibus iure expressis: At in iure non est expressum, quod reiterantes dicta duo sacramenta, sint irregulares, & pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Tertia Conclusio. Crimina enormia, notoria, vel depositione digna inducunt irregularitatem, cap. Quæsitū. de temporib. ordin. & communis sententia ibidem, & cap. Quoniam. d. 48. Excipitur autem homicidium, quod etsi sit occultissimum, facit tamen irregularem. Crimina autem enormia & depositione digna sunt. Adulterium, & omnia illo maiora, vt concubinatus diu continuatus, stuprum virginis, Sodomia, Simonia, & alia quæ irrogant infamiam ipso iure iuxta Glossam in cap. Nisi cū pridem. de renunciat. de his criminibus vide DD. in cap. At si clerici. de iudicijs, & in d. cap. Nisi cum pridem. Necessarium ergo est ad

Yy hoc,

hoc, vt crimen inducat irregularitatem, vt sic notoriū, & enorme coniunctim, contra quosdam DD. qui autumant enormitatem sufficere. Vide ad hanc materiam Nauar. in Manuali, c. 27. num. 248. & hoc nouè declarasse Gregorium Nonum cap. fin. de temporib. ordin. ipse asserit.

Quarta Conclusio, qua ex dicta elici potest. Apostata à fide, vt hæreticus, idololatra, & infidelis post Baptismum, sunt etiam irregulares, can. Presbyteros. 50. dist.

Quinta Conclusio. Quicumque incurrit infamiam iuris, aut facti, efficitur irregularis, cap. Infamibus. de regulis iuris in 6. & communiter DD. in verb. Irregularitas. Sunt & alia in iure irregularitates, quarum cognitio non est necessaria Confessarijs, quare peritiores remittimus ad canones & DD.

De modis, quibus irregularitas tollitur.

TRIBVS modis irregularitas tollitur, Baptismo, Religionis ingressu, & dispensatione. Per Baptismum tollitur omnis irregularitas contracta, ante illum ex peccato iuxta Panorm. communiter receptum in cap. Gaudeamus, de diuortijs, & infamia, quæ venit ex sequela peccati. Non autem auferitur irregularitas Bigamiæ, nec ea, quæ ex defectu natalium oritur.

Per religionis ingressum tollitur ea, quæ non

non nascitur ex peccato proprio; vt defectus natalium, cap. 1. de filijs presbyterorum. Dispensat enim religio ad ordines, & non ad dignitates. Religio non tollit alias irregularitates, licet semper faciliorem reddat dispensationē secundum Panormit. cap. 2. de Apostatis.

Per dispensationem tollitur omnis irregularitas: quoniam introducta est à iure. Pontifex generaliter in omnibus potest dispensare. Episcopus proprius in aliquibus. Confessarius autem regulariter in nullis, nisi cui ex priuilegio ad aliquos casus concedatur, aut committatur. Quare etiam non annotauimus hic in singulis casibus, penes quem sit potestas dispensandi. Sufficit confessario scire casus, in quibus communiter incurritur irregularitas.

Forma autem dispensandi super irregularitate est talis, vel similis. Ego dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, quam, & quas contraxisti propter talem causam. Hæc sufficiant pro breui introductione ad vberiore cognitionem, quæ vt pastoribus rudibus ad maiorem doctrinam, & cunctis fidelibus ad salutem animarum proficiant

Deum, in cuius gloriam ac honorem
omnia dirigimus, sedulo obsecramus.